AUTHORITAS CONTRA PRAEDETERMINATIONEM PHYSICAM PRO SCIENTIA...

Charles : de Bryas

M

AUTHORITAS
CONTRA
PRÆDETERMINATIONEM
PHYSICAM
PRO SCIENTIA
MEDIA

Cum brevi historiâ complectente Ortum, pugnas & palmas ejusdem Scientiæ Mediæ.

Inter acres viginti annorum impugnationes feliciter propugnatæ.

AUTHORE
GERMANO PHILALETHE EUPISTINO.

J. Pudentiane da Vota

DUACI,
Ex Typographiâ JOANNIS PATTE,
Sub Signo Nativitatis. 1669.

LECTORI.

SCOPVS hujus scriptionis est, monstrare, non pauciores, nec ignobiliores; imò (teste Pet. à S. Ioseph & Isaaco Habert) etiam longè plures, magni nominis Doctores, stare pro Molinâ, prædeterminationes physicas negante, quàm pro Bannezio illas adstruente. Ac proinde, falsum esse, quod nonnulli (ad authoritatem suæ opinioni, adversariorum depreßione, saltem apud imperitos, conciliandam) temerè jactant, Molinæ, cæterorumque Iesuitarum doctrinam, Bannezianis prædeterminationibus oppositam, esse MODICÆ AUTHORITATIS, & INTRA SOCIETATIS TERMINOS CLAUSAM, imò A BELLARMINO, ALIISQUE PRÆCIPUIS JESUITARUM SCRIPTORIBUS, REJECTAM. Horum quidem minùs consideratè assertorum falsitas, à Ruizio, Fasolo, Aldreto, aliisque pluribus, pridem luculenter, ostensa est, sed tomis grandioribus, quàm ut facilè comparari poßint & legi ab omnibus studiosis syncera veritatis. Quare visum est operæ pretium idem paucis declarare, exiguo hôc opusculo, cujus partitionem & res præcipuas exhibet indiculus ad calcem positus. Varia, quorum fontes non sunt in promptu, referuntur ex fide Suarezij, Ruizij, Fasoli, Leonardi, Henao, aliorumque hîc sæpius citatorum.

APPROBATIO.

HOC Opuſculum modeſtè & dilucidè probat, Scientiam Mediam Summi Pontificis decreto à Cenſuris abſolutam, & Scholis Catholicis permiſſam, plurimos ex quovis Ordine habere Patronos, eruditione, virtute, aliiſque nominibus Illuſtriſſimos; nec ullo modo Fidei orthodoxæ, bonis moribus, aut Eccleſię placitis adverſatur. Quare Typis omnino dignum cenſeo. Datum Duaci die 17. Aprilis 1669.

MATHIAS GERTMAN,
Sacræ Theologiæ Doctor, & Profeſſor Regius, & Ordinarius, Librorumque Viſitator, & Cenſor.

CAPUT

CAPUT J.

Authores plurimi ex quovis Ordine Statûs Ecclesiastici Prędeterminationem Physicam absolutè reijciunt.

§. J.

Authores Societatis JESU *contra Prædeterminationem Physicam.*

1. UNO consensu Prædeterminationem Physicam repudiant omnes Patres Societatis, inter quos ab uno sæculo quàm plurimos floruisse in omni scientiarum genere nullus negare potest. Id enim clamant Opera mille quingentorum Jesuitarum, qui, teste Allegambe in Bibliothecâ Societatis, primo ejus Sæculo sua Scripta typis mandârunt. Id prædicant omnes Sapientum Bibliothecæ eruditis eorum lucubrationibus illustratę. Id testantur Summi Pontifices, Gregor. XV. in Brevi, quo Carolum Lotharingiæ Verdunensem Episcop. à Pastorali curâ absolvit, eiq;

Societatis ineundæ copiam facit, ubi (teste Paulo Leonardi part. 2. n. 81.) dicit: *Societatem esse Catholici nominis defensione, & hæreticorum excidijs clarissimam.* Et luculentissimè splendidissimum illustrissimi Ordinis S. Dominici lumen Pius V. in Bullâ, *Innumerabiles*, in quâ Societatis Constitutiones confirmans, ejus Religiosos vocat, *Viros Litterarum præcipuè Sacrarum scientiâ, religione, morumque sanctimoniâ perspicuos, multorum religiosissimos Præceptores, ac Verbi Divini etiam apud Barbaras Nationes optimos Prædicatores, & Interpretes.*

Hâc autem in controversiâ eò pluris facienda est eorum authoritas, quòd nullo moderatorum imperio, nullo ordinis statuto adacti, aut rigido in unius Doctoris verba adstricti juramento (quo subinde coguntur ex adversarijs nonnulli, quæ sentiunt minùs vera, tueri) sed solius veritatis studio impulsi in eandem, contra prædeterminationes physicas, sententiam ab ipso hujus controversiæ exordio liberrimè conspirarint, idque quamvis per varias mundi plagas divisi simul & alterutrum inscij, ut ex vitâ Bellarmini hispanicâ, l.3. c. 9. testantur Paulus Leonardi part. 1. n.60. & Henao in 2. editione scient. med. historicè propugnatę, n. 1254. & 1274.

His verò, quamvis illustribus Societatis JESU Doctoribus recensendis non immoror, clariora

sunt

ſunt eorum nomina, quàm ut vel à mediocriter litteratis ignorentur. Deinde eorum ſyllabum, qui voluerit, facilè inveniet accuratè deſcriptum apud ſapientiſſimum Doctorum Societatis anteſignanū Franciſc. Suarem to. 2. de grat. prologom. c. 2. Didacum Ruiz de ſcient. Dei, diſp. 49. ſect. 9. & diſp. 67. ſect. 9. Ripaldam diſp. 130. ſect. 5. n. 24. Paulum Leonardi part. 3. ſect. 11. n. 52. & 53. Franciſcum Suarem Juniorem to. 3. tract. 6. diſp. 2. ſect. 4. §. 2. Gabriëlem Henao in ſcient. med. hiſtoricè propugnatâ, eventilatione 17. n. 140. & in 2. ejus editione anni 1665. event. 36. & 37.

Deniq; apud Mathiam Borrüll de ſcien. med. diſp. 5. ſect. 4. n. 362. ubi 55. Authoribus doctrinâ typis vulgatâ claris, quos Hieronym. Vives lib. de Primatu Divinæ libertatis è ſuo perilluſtri Prędicatorum Ordine, poſt quatuor ſæcula ab ejus erectione expleta contra ſcient. med. pro decretis phyſicè prædeterminantibus produxit, centum è ſuâ Societate, elapſo unico ejus ſæculo, opponit Scriptores doctrinæ famâ celebres, qui pro ſcient. med. contra decreta phyſicè prędeterminantia ſtrenuè pugnarunt, ipſaſque prædeterminationes phyſicas, ut libertati noxias ſolidè rejecerunt. Ex ijs autem 55. à Vives productis oſtendit n. 340. & ſeqq. varios ut S. Th. S. Vincent. Ferrar. fal-

sò citari contra ſcientiam mediam pro decretis phyſicè prędeterminantibus. Quare n. 363. ita concludit: *Habes mî Lector pro ſcientiâ mediâ centum Authores de Societate, unicâ tantùm ejus centuriâ conſummatâ, contra paucos Dominicanos, quartâ jam centuriâ eorum expletâ, pro ſcientiâ conditionatorum in decreto militantes. Vnde*, inquit, *concordiæ Patris Molinę congruè aptavit P. Henao, quod de Cybele cecinit Poëta*

Fælix prole Virum centum complexa nepotes.

2. Varios quidem ex Authoribus Societatis, eoſque non ignobiles, nempe Bellarm. Tolet. Perer. Azor. Henriq. Baſtid. alioſque ad ſuas partes trahere nituntur Nazarius, Salmanticenſes, Joannes à S. Thomâ, Prado, Gonetus, alijque adverſarij. Verùm hos Societatis DD. faviſſe prædeterminationi phyſicę nunquam perſuadebunt oculatis, qui vel levi intuitu eorum opera inſpexerint: ut demonſtrant Ruiz de ſcient. Dei, diſp. 49. ſect. 9. n. 80. & ſeqq. Aldretus 1. part. diſp. 29. ſect. 11. Paulus Leonardi part. 2. ſect. 15. n. 71. & ſeqq. Henao de ſcient. med. eventil. 5. n. 33. & & in 2. editione n. 153. 462. & ſeqq. Ripalda, Borrull. & alij.

3. Certè Bellarminum non ſolùm non fuiſſe prædeterminationis Patronum, ſed hoſtem acerrimum conſtat ex to. 2 l. 1. de grat. & lib. arb.

c. 12.

c. 12. in editione Coloniensi anni 1615. ab ipsomet Bellarm. (ut habetur in fronte libri) recognitâ & auctâ, ubi explicans gratiæ efficaciam, duas reijcit Catholicorum sententias extremè oppositas, quarum 1. gratiæ efficaciam ponit in solâ cooperatione humanâ; 2. verò in physicâ Dei actione voluntatem ad bonum determinante: demùm 3. amplectitur inter has mediam, gratię efficaciam in eo constituentem, quod detur ijs circumstantijs, quibus prævisa est effectum habitura, quę sententia est Suaris, Mol. & communis eorum, qui prædeterminationes physicas negant.

4. Primam §. *prima Opinio* sic proponit: *prima opinio eorum est, qui gratiam efficacem constituunt in assensu & cooperatione humanâ, ita ut ab eventu dicatur gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum, & ideo sortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur*: de hâc autem opinione §. *hæc opinio*, ait: *hæc opinio aliena est omnino à sententiâ Scripturarum*, quod probat ex Aug.

5. Secundam proponit. §. *est igitur*; ubi ait: *est igitur alia sententia aliorum, qui docent gratiam efficacem esse actionem Dei physicam, quæ determinat voluntatem ad volendum; & quia non potest fieri ut Deus physicè determinet voluntatem, quin ipsâ voluntas determinetur & velit id ad quod determinatur*,

ideo fieri non poteſt ut gratia iſta non habeat effe-ctum.

Hanc porrò ſententiam §. *hæc opinio*, & ſeqq. fusè reijcit his verbis: *hæc opinio videtur mihi aut eſſe omnino eadem cum errore Calvini, & Lutheranorum, aut parum ab illo diſtare: & quemadmodum opinio ſuperior deſtruebat gratiam efficacem, ita hæc deſtruit gratiam ſufficientem, & ſimul tollit è medio liberum arbitrium.* Eandem refellit l. 4. de gra. & lib. arb. c. 14. §. *hæc ſententia*, & ſeqq. multis argumentis, tum §. *ad hæc* ſic concludit: *ad hæc ſi ponatur iſta determinatio, non poterit intelligi quomodo Deus non ſit cauſa peccati, & quomodo homines, qui peccant, non ſint digni excuſatione: nam ſi Deus in omni actu poſitivo voluntatem determinat, & movet ad agendum; etiam determinabit, & movebit ad volendum furari, fornicari, mentiri, blaſphemare. &c. quis autem capiat hominem dignum eſſe pœnâ, ſi id velit, quod Deus determinando & movendo facit eum velle.*

Eandem opinionem fortiùs reijcit ibidem §. *Denique*, in editione Lugdunenſi apud Joan. Pilehotte an. 1596. quę teſte Paulo Leonar. part. 2. ſec. 18. n. 68. fuit editio ſecunda ab Authore recognita & locupletata, ubi ſic loquitur: *Denique ſententia, quę prædeterminationem iſtam in voluntate conſtituit, non videtur poſſe diſtingui à ſententiâ hæreti-*

rici-

reticorum negantium liberum arbitrium, nisi quoad voces; nam hæretici non negant homines habere plenum atque perfectum judicium rationis, cùm aliquid eligunt, & sponte ac voluntariè eligere; sed dicunt decreto Dei, & prædeterminatione omnia fieri, nec posse Deo decernenti, & prædeterminanti resisti, quod si nos etiam admittamus ita determinari à Deo nostram voluntatem, ut non possit agere (scilicet in sensu composito) *nisi id ad quod à Deo determinatur, & tamen, quia ipsa voluntariè, & cum pleno judicio rationis agit, contendamus hominem esse liberi arbitrij; tota controversia inter nos & hæreticos erit de nomine, utrùm videlicet homo sit dicendus liberi arbitrij nec-ne? at profectò labores tot Doctissimorum hominum, & ipsius Concilij œcumenici pro asserendâ arbitrij libertate consumpti aliud nobis persuadent. Nec enim ignorabant Viri illi sapientissimi quod S. Aug. in Epist. 28. ad Hieron. & alibi monuit, cùm de re constat, non est de nomine litigandum.*

6. Quamvis hæc eadem habeantur in editione Ingolstad. an. 1589. & teste Leonar. sup. pag. 6. in plerisq; alijs editionibus, adeoque satis constet esse Bellarmini: cùm tamen in editione Parisiensi anni 1608. alijsque posterioribus decreto Pauli V. editio an. 1606. sublata sint, quia fortè isti decreto alterius partis damnationem vetanti non videbantur satis accomodata, illis non immoror,

nec eorum censuram, si quam contineant, ullâ ratione approbo; sed, ut nunc meritò prohibitam, disertè reijcio, & simpliciter refero exemplo Joan. à S. Th. 1. p. q. 14. disp. 20. a. 4. §. *Quapropter*, n. 25. ubi relatâ Lovaniensium censurâ, tacitâ illius reprobatione per Pontifices factâ, ad declinandam censoris invidiam, subjungit: *Nos verba referimus, non censuramus, nec ad censurandum referimus, nec censuram acceptamus.* Quare ad demonstrandam hâc super controversiâ Bellarmini mentem solùm sequor editionem anni 1615. Authore vivo & recognoscente factam, quam, hoc saltem in puncto, non esse (ut fingunt Quæstionarius, Gonetus, alijque adversarij) adulteratam, sed continere ipsissimam Bellarmini sententiam, manifestum est ex recognitione, quam de suis omnibus libris fecit ipse Bellarminus, & ad calcem 2. tomi hujus postremæ & correctissimæ editionis an. 1615. apponi curavit, eique hanc præfationem præfixit.

Ego ipse jam senex & morti proximus S. Augustinum imitatus, libros meos recognoscere & dijudicare volui, quod opus Deo adjuvante aggressus, nunc demùm eodem adjuvante perfeci, & aliqua obscurè dicta explicans, quædam etiam nimis breviter indicata non paucis additis locupletavi, paucis denique, quæ minùs placebant, correctis, extremam manum omnibus libris à me conscriptis imposui. Ex

Ex hâc autem recognitione certum eſt Bellarminum uſque ad mortem conſtanter rejeciſſe prædeterminationem phyſicam ut libertati, & D. Th. repugnantem; cùm hanc recognitionem (ut legenti patet) eo potiſſimùm fine videatur feciſſe, ut à ſe varijs locis dicta contra prędeterminationem phyſicam, & ab illius aſſertoribus non ſatis intellecta fuſiùs explicaret ac confirmaret: quod mox citanda manifeſtabunt.

7. Tertiam ſententiam à Propugnatoribus ſcientiæ mediæ paſſim receptam explicat, & ſequitur l. 1. de grat. c. 12. §. *Præter hęc*, §. *Idem Aug.* ac præcipuè §. *Denique*, ubi poſt duas primas extremè oppoſitas, multis refutatas, dicit: *Denique omnia teſtimonia in primo argumento allata huc pertinent: neque enim intelligi poteſt, quo pacto gratia efficax conſiſtat in illâ internâ ſuaſione, quę per liberum arbitrium reſpui poteſt, & tamen infallibilem effectum habeat, niſi addamus, Deum ijs, quos efficaciter & infallibiliter trahere decrevit, eam ſuaſionem adhibere, quam videt congruere ingenio eorum, & quam certò novit ab eis non contemnendam.* Item c. 15. §. *At noſtra ſententia*, Ubi explicans quomodo motio interna habens effectum, ſit ſemper major eâ, quæ non habet effectum, non quidem phyſicè & entitativè, ſed moraliter, & in eſſe gratiæ, ait: *Siquidem ad gratiam non ſolùm*

pertinet motio, sive excitatio interna, sed circumstantia loci, temporis, personæ, &c. Si enim eâdem motione acceptâ unus credit, alter non credit, sine dubio unus accepit motionem eo modo, loco, & tempore, quo Deus prævidit ejus ingenio congruere; alter non ita accepit; ac per hoc longè majorem habuit gratiam is qui credit, quam, qui non credit: qui enim non credidit, habuit gratiam, per quam posset credere; qui autem credidit, habuit gratiam, quâ posset & vellet credere. Tunc enim Deus in nobis operatur velle, cùm ita vocat, ut videt sequuturos.

His similia habet §§. seqq. & l.4.de grat.& lib, arb. c. 12.& 13. ac præcipuè 14. 15. & 16. item l. 6. c. 15. sententiâ 8. & 9. quibus Molinæ doctrinam ita propugnat, & ejus adversariorum physicam prædeterminationem ita oppugnat, ut non possim satis mirari, quòd adversarij illum pro se citent. Certè videntur posse æquali jure Molinam, & Petrum à S. Joseph pro se citare, ac Bellarminum, qui quidem Lessij sententiam de gratiæ efficaciâ in solo actu secundo, ortâ ex solo voluntatis creatæ consensu libero refutavit, ut communiter faciunt alij scientię mediæ assertores, nunquam tamen physicæ prædeterminationis Patronum, sed hostem constanter egit. Ejus autem verba fusiùs referenda censui, ut omnibus constet Eminentissimum hunc Cardinalem magni in

Ec-

Ecclesiâ nominis, de eâque optimè meritum, ac in sententijs Catholicis ab hęreticorum erroribus discernendis versatissimũ manifestè in pręsenti controversiâ Molinę, non adversarijs favere.

8. Non obstantibus tot adeò apertis Bellarmini adversùs prędeterminationem physicam testimonijs à nobis jam productis non dubitat Gonetus to. 7. Clypei Thomistici disp. 6. *De modo quo voluntas movetur*, a. 2. §. 4. Bellarminum sibi vindicare his verbis: *Doctissimus Cardinalis Bellarminus non tantùm sententiam nostram probabiliorem, & Scripturæ Sacræ valdè consentaneam esse asserit, sed etiam eam D. Th. tribuit.* Quod probat, &, ut credit, invictè ex his Bellarmini verbis l. 4. de grat. & lib. arb. c. 16. init. *Altera ratio conciliandi libertatem cum cooperatione divinâ, & fortasse etiam probabilior est, juxta sententiam D. Th. qui docet cooperationem divinam ita concurrere cum causis secundis, etiam liberis, ut non solùm eis dederit, & conservet virtutes operatrices, sed etiam eas moveat, & applicet ad opus, ut cognosci potest ex 1. p. q. 105. a. 5. & l. 3. cont. Gent. c. 70. & q. 3. de potent. a. 7. quæ sententia videtur valdè consentanea, tum Scripturæ, quæ dicit nos in Deo esse, & moveri, tum rationi, & ordini, quem habet prima causa cum secundis.*

9. Verùm ex reliquo istius Capitis contex-

tu

tu facilè convinci potest falsum esse, aut fallere voluisse Gonetum: quandoquidem Bellarminus motionem & applicationem causarum secundarum à primâ, de quâ loco objecto loquitur, in sequentibus ita explicet, ut manifestum sit ipsum per eam nullo modo intellexisse concursum physicè prædeterminativum, adeoque nec hunc tribuisse D.Th. sed solùm concomitanter cooperativum, quem cum D.Th. Caiet. 1.p.q. 19.a.8.§.ad 1. vocat motionem & applicationem ad agendum.

Quod demonstro 1. Ex §. *Ad hanc*, ubi istam motionem explicans, ait: *Respondeo Deum non movere localiter causam secundam, neque in illâ qualitatem ullam imprimere, sed tantùm illâ uti tanquam instrumento ad opus efficiendum: quocirca virtus à Deo impressa per modum transeuntis, dum causa secunda operatur, non distinguitur ab ipsâ virtute naturali, sed est illa eadem, quatenùs illâ Deus utitur ad illam actionem perficiendam: est autem necessaria hæc motio Dei ex parte causæ secundæ, quæ cùm sit secunda habet necessariam dependentiam à primâ, in cujus virtute operatur.*

Si hæc sequentia, semoto omni affectu prædeterminativo, expendisset Gonetus, priora (ut reor) non adduxisset in patrocinium physicæ prędeterminationis, quam ipse, & cæteri ferè prædeterminatores, præsertim Dominicani, volunt

esse

esse qualitatem physicam, causæ secundæ à Deo impressam, ab ipsius virtute naturali realiter distinctam, & ejus actione naturâ priorem: cùm tamen Bellarminus his sequentibus expresse doceat, motionem causæ primæ, seu virtutem à Deo impressam per modum transeuntis à se, ex mente S. Th. q. 3. de potent. a. 7. in præcedentibus admissam, non esse ullam qualitatem à Deo causę secundę impressam, distinctam ab ejus virtute naturali; sed esse hanc ipsam virtutē, quatenus à Deo ad usum redactam, per concursum scil. simultaneum, quo causa 2. à Deo movetur, & applicatur ad opus, id est, fit agens, & conjuncta suo effectui.

10. 2. Idem demonstro ex §. *His explicatis*, ubi ait: *Vt ostendamus, juxta hanc S. Th. sententiam, rectè defendi liberum arbitrium, sciendum est influxum, seu virtutem Dei, quâ voluntas movetur, & applicatur ad opus, recipi in causis secundis secundùm earum dispositionem, seu modum, ut docet S. Th. q. 3. de malo, a. 2. & 1. 2. q. 10. a. 4.* Et infra §. *Porrò*, istum modum explicans, subjungit: *Iste modus seu conditio in voluntate, secundùm quam recipitur in eâ motus Dei, nihil aliud est, nisi negativa quædam determinatio præcedens, tum influxum Dei, tum actum elicitum voluntatis, nimirùm quòd voluntas sinat se moveri ab objecto, per rationem sibi proposito vel non sinat.* Unde §. *Atque*, sic concludit: *Hinc fit,*

fit, ut voluntas sit verè libera, & seipsam determinet, tametsi Deus illam moveat, & applicet ad opus, quoniam ipsa Dei motio in ejus potestate est (ut nempe sit, vel non sit) *sive ut loquitur Caiet. 1. p. q. 19. a. 8. Dei motione voluntas liberè utitur; nam si se moveri sinat ab objecto, Deus eam applicat, & movet ad actum eliciendum* (cum eâ scilicet concurrendo) *si non sinat, Deus eam non applicat.* Quę confirmat tum ex S. Th. 1. 2. q. 10. a. 4. ad 3. tum hoc simili: *Sicut enim posito ultimo judicio practico, fieri non potest, ut voluntas non eligat id, quod tunc ei à ratione proponitur: & tamen electio libera est; quoniam ipsum judicium practicum est in potestate voluntatis, propter negativam præcedentem determinationem.*

Ex his denique §. *Respondeo*, objectionem Calvini petitam ex eo, quod voluntas divina, cui non potest resisti, ab ęterno decreverit quid velit fieri, sic solvit: *Voluntas divina est quidem prima causa omnium rerum, & ab æterno decernit, quid velit, aut non velit fieri* (positivè scilicet, aut permissivè) *sed in particularibus, & maximè liberis actionibus, id non decernit, nisi præcognitâ priùs dispositione, & determinatione causarum secundarum. Quocirca, licet nemo possit divinæ resistere voluntati, manet tamen integra libertas humanæ voluntatis, quia Deus ipse, cui nemo resistere potest, hoc voluit, ut animus*

mus humanus liber esset, & actiones suas in potestate haberet: & ideò decernit ei cooperari, vel eam applicare & movere, quotiescumque per negativam determinationem se ipsa disponeret.

Ista autem negativa determinatio, ratione cujus naturâ prioris sentit Dei motionem esse in nostrâ potestate, & ideo libertati nihil officere, in reipsâ aliud non est, quam causam primam & secundam, in operationibus huic liberis, ita se habere, ut secunda illas ponat ex propriâ determinatione, prima verò ex determinatione secundę, sic tamen ut ly *ex determinatione*, non denotet (ut quidam malè concipiunt) aliquid positivum naturâ prius actione communi, quâ causa 1. & 2. simul operantur: sed solùm certum modum procedendi istius actionis à causâ 2. ut antecedenter activè indifferente, in quo involvitur multiplex negatio, omnium scilicet antecedenter necessitantium, aut absolutè determinantium.

11. Hæc, in quibus teste Henao n. 476. concordant omnes editiones, latiùs referre non piguit, quia conuincunt motionem causæ primæ ex S.Th. à Bellar. admissam non differre ab eâ, quam admittit Suar. dis. 22. Metap. n. 47. & seqq. explicãs modos loquendi S. Th. eamq; explicationẽ illustrant & confirmant splendidâ authoritate magni

gni Cardinalis, quem hâc in re putant adversarij mentem D. Angel. ita assecutum esse, ut illum pro se citent. Si tamen aliam ipsi suæ prædeterminationi physicæ non tribuerent motionem, quam cum Bellarm. potestati, ac præviæ determinationi voluntatis creatæ subiectam, nec Bellarm. nec Mol. haberent adversarios, sed commilitones conjunctissimos.

12. Quod autem addit Gonetus ex c. 11. ejusdem l. 4. de gra. & lib. arb. §. *Tertio est observandum*, ubi recensens modos, quibus potest voluntas à Deo inclinari, primo loco ponit hunc: *effitienter & physicè immediatè illam movendo & determinando ad vnum*, nihil facit ad rem, cum istum modum non probet Bellar. sed cap. 14. ut destructivum libertatis absolutè reijciat verbis sup. cit. n. 5. nec dicat, ut infideliter refert Gonetus, *D. Th. illum docuisse q. 22. de verit. a. 8.* sed *notasse*, quod Bellarm. to. 2. fin. in recognitione librorum de grat. & lib. arbit. §. *l. 4. c. 11. secundo efficienter*, pag. 521. in edit. Colon. anni 1615. explicat his verbis: *cum diximus à S. Th. notari in q. 22. de verit. a. 8. duos modos, quibus potest Deus inclinare voluntatem ad operandum; unum efficienter & physicè, immediatè illam movendo & determinando ad unum: alterum efficienter quidem, sed mediante aliquâ formâ, quam imprimit in voluntate*

tate non voluimus significare Deum ex mente S. Th. reipsâ uti illo priori modo, cùm movet homines per gratiam efficacem, existimamus enim Deum posse quidem uti illo primo modo si velit, sed tunc tolli omnem libertatem arbitrij: & proinde non putamus Deum uti de facto illo primo modo, neque absolutè, neque ex mente S. Th. ut probamus in hoc eodem l. c. 14. & inf. dicit physicam determinationem necessitare, licet non cogat; moralem verò nec cogere, nec necessitare. Et paulò post addit Deum juxta S. Th. posteriori modo movere voluntatem, *subinde necessitando, ut cum apponit formam perfectam, qualis est charitas beatorum, subinde non necessitando, ut cum apponit formam imperfectam, qualis est charitas viatorum.*

Deinde §. *Cap.* 14. confirmat quod docuit l. 4. de lib. arb. c. 14. §. *S. Thomas*, nempe prædeterminationem repugnare D. Th. allatis pluribus D. Angelici testimonijs ac principijs, *cum quibus*, inquit, *doctrina de prædeterminatione non videtur posse consistere.* Eâdem recognitione pag. 519. alia habet quibus mentem suam à prædeterminatione physicâ alienissimam clarè explicat, ut §. *eod. l. c.* 12. cùm §. *rursus: diximus gratiam determinare voluntatem; per vocem, determinare, non intelleximus determinationem propriè dictam, quæ tollit indifferentiam, sed persuasionem, quæ moralis motio quædam*

 est

est voluntatis. Subdit tamen *voluntatem moveri per gratiam etiam efficienter & physicè*, nempe per *aspirationem*, sive *afflationem*, quæ physica actio est, quâ quidam actus boni producuntur in nobis sine nobis & §. *ad idem c. 12. ubi*, inquit, *Augustini sententiâ demonstrare conati sumus gratiam efficacem non consistere in gratiâ adjuvante, & prædeterminante physicè, sed in gratiâ congruæ vocationis & excitationis.*

13. Ex his conficio quod Bellarminum non legerint adversarij, qui non verentur nobis obijcere ejus doctrinam in hâc materiâ esse adulteratam, aut mentem ejus esse dubiam, vel quod magis mirêre, nobis contrariam: cùm tantâ claritate in hâc librorum suorum recognitione mentem suam contra prædeterminationes aperuerit ut de eâ non possit rationabiliter dubitari. Imò nec irrationabiliter ab ijs, qui legerunt ejus vitam per Didacum Ramirez l. 6. c. 3. ubi, sicut & in Bibliothecâ Scriptorum Societatis per Allegambe pag. 409. refertur *Bellarminum paulò ante mortem declarasse coram Notario publico, & 10. testibus se in eâ de divinæ gratiæ auxilijs materiâ, quæ controvertebantur inter Societatem IESV, & nonnullos alios Catholicos ratum verumque habere, ac putare quod in controversiarum suarum libris* (locis videlicet à nobis sup. cit.) *scripserat, nec primam opinio-*

opinionem vnquam mutasse:, ita Henao in ſcien. med. 2. edit. n. 475.

14. Non repugnat quod Sylveſter à Petrâ Sanctâ in vitâ ejuſdem latinâ l. 2. c. 5. §. *tradunt plurimi*, dicat Bellarminum, *non ſolùm æquanimiter, ſed cum hilaritate paſſum eſſe à Patribus Societatis in Germaniâ circa paucùlas opiniones ſua ſcripta immutari in ſpem fructûs inter hæreticos vberioris*: ibidem enim, aliquot lineis poſt, diſertè ſignificat Bellarm. nullam paſſum eſſe mutationem in ijs, quæ ad præſentem controverſiam pertinent, dum aſſerit ipſum in opinionibus authoritate, aut ratione firmâ nitentibus fuiſſe immobilem, *quod*, inquit, *clarè agnitum eſt in his, quæ evenêre circa editas opiniones de prædeſtinatione, & de auxilijs divinæ gratiæ*. Hoc ipſum convincitur ex l. 2. c. 3. §. *ferè per id tempus* vbi Petra S. recenſet acta Bellarmini pro Societate in controverſiâ de auxilijs coram Clemente VIIJ. cui ait Bellarminum plus vice ſimplici conſtanter prædixiſſe *nunquam fore ut de illâ decerneret*. Idem Cardinali à Monte (vt conſtat ex hujus teſtificatione l. 6. ejuſdem vitæ c. 7. §. *cum aliquando*) etiam Majori firmitate aſſeveravit:, cùm enim illi Cardinalis repoſuiſſet *Pontificem poſſe, & velle in opiniones de auxilijs pronunciare*: ſubiunxit Bellarminus, *Pontificē poſſe, & vellé non inficior, pronuncio tamen fore ut non*

 deſi-

niat: imò si moliri hoc velit, priùs eum vita deficiet. His consonant quæ habet in litteris, ad dissipandum rumorem temerè sparsum de sententiâ in favorem prædeterminationis à Clemente VIII. pronunciatâ, missis an. 1599. in Hispaniam ad P. Anton. de Padillâ, cui (teste Henao scien. med. edit. 2. n. 296.) ita scripsit: *non satis stupere desino eorum temeritatem, qui tam spissa mendacia vulgant; dicat V. Reverentia fidenter quibuscumque Sanctiss. Dominum nihil penitus decrevisse circa physicam prædeterminationem, vel alium articulum ex ijs, qui ad controversiam de auxilijs divinæ gratiæ spectant; sitque certus, vt aliquid statuendum sit, oppositum futurum eorum, quæ per rumorem illum disseminata sunt; & ego optimè conscius sum de ijs, quæ tam constanter assevero.*

15. Verum quidem est Bellar. in suis prælectionibus ad 1.p.q.14.a.13. Louanij an. 1572.quædã dictasse valdè conformia doctrinæ prædeterminantium: cùm tamen nomine prędeterminationis physicæ non sit usus, non incõgruè explicari potest ut sup.n.9.& inf.n.16. Cæterum quidquid sit eâ de re, Bellarmini sententia de motione causæ 1. non est petenda ex ijs, quę juvenis sub an. ætatis 28. etiam concionando occupatus, alienis fortè vsus scriptis, Lovanij prælegit, cùm Theologię difficultates per ętatem necdum satis examinare potuisset; imò teste Algambe in Bibliothecâ Societ. verbo *Robertus*

Bellarm. non nisi pauculas qq.ex 2.& 3.parte discipulus audijsset: sed petenda est ex controversijs, quas ætate & sapientiâ provectior in lucem dedit; harum enim controversiarum, non suarum prælectionum doctrinâ in recognitionibus sup. cit. confirmavit,& morti proximus ratam habere professus est. Similiter Divorum Aug.& Th. sententia (dum in eorum operibus inveniuntur pugnantia) ex ijs non est desumenda, quæ juniores dixerunt; sed ex ijs, quę seniores docuerunt priùs dicta retractando, ut, teste Soto l.2.de nat.& grat.c.3. ante med. fecit S.Th.in summá,revocans à se admissa in 2.d.27.& 28. *de dispositione ad gratiam ex naturalibus.*

16. Neque feliciores fuerunt adversarij in alijs è Societate, quàm in Bellarm.pro se citandis: ij enim quos sibi jactant suffragari subinde quidem dixerunt voluntatem creatam, aliasque caussas secundas à Deo, tanquam ejus instrumenta moveri, & applicari ad agendum, nempe sensu n. 9. à nobis tacto & à Ruiz, Petro à S. Joseph, & alijs ad mentem S. Th. fusiùs exposito præsertim de concursu simultaneo, sic ut ejusmodi locutiones adversarijs nihil faveant, nec vllo modo Molinę adversentur: nunquam tamen dixerunt physicè prædeterminari: quod si subinde addant voluntatem nostram à Deo determinari, intelligendi sunt vel de determinatione

 conco-

concomitante per concursum simultaneum, vel etiam de antecedente, quoad individuum, aut per inclinationem naturalem ad bonum in communi, in quâ radicatur omnis libera voluntatis determinatio ad bona particularia; vel certè de determinatione, aut, si velis, prædeterminatione morali per gratiam aliamve excitationem certis circumstantijs congruam, & in ordine ad effectum certò obtinendum ac prævidendum æquivalenter physicè prædeterminativam.

17. Hoc sensu intelligendus est Tolet. 2. physic. c. 3. q. 8. cùm apertè contrariam physicæ prædeterminationi sententiam sequatur omnium suorum Operum postremo, Commentario in Lucam Annot. 18. in illud c. 10. *si in Tyro &c.* ubi ait: *nota quartò Deum quibusdam dare talia auxilia, quę si alijs daret, etiam magis peccantibus, vtique conuèrterentur; & tamen illi quibus dantur non conuertuntur*, quibus verbis docet eadem auxilia, quæ respectu vnius sunt inefficacia, posse respectu alterius esse efficacia, ac proinde eorum efficaciam non consistere in physicâ præmotione, seu energiâ intrinsecâ per se inseparabiliter connexâ cum effectu. Idem prosequitur notabili quinto: *sæpe enim fit, ut Deo vocanti vnus consentiat, alter non, arbitrij libertate; quod sicut cum Dei auxilio operari potest, ita & eidem refragari*

&

& resistere valet, scilicet in sensu composito, sicut cum eodem potest operari. Hinc in manuscriptis, proprio, inquit Paul. Leonar. ejus calamo exaratis in 1. 2. q. 109. a. 7. fin. dicit *in potestate hominis esse, ut auxilium à Deo datum sit efficax, aut sufficiens tantùm.*

Zumelius to. 1. opusculor. disp. 5. sec. 1. §. *adducuntur*, Toletum prædeterminatoribus adjungit, ex eo quòd Joan. 6. Annot. 21. in illud *nemo potest venire ad me nisi Pater traxerit eum*, dicat Scripturam trahendi vocabulo uti, ad explicandam gratiæ efficaciam, non vi, aut necessitate ad Deum trahentem: sed, si hæc sit prædeterminatorum doctrina, fatendum est Molinam, Lessium, Petrum à S. Joseph & alios scientiæ mediæ defensores esse veros prędeterminatores.

18. Eodem sensu dixit Pererius l. 8. de causis, c. 8. *In eo quod adjungit D. Th. causas secundas, & in his voluntatem nostram à Deo moveri, applicari, & determinari ad agendum, licet nonnulli dissentiant Theologi, ego tamen pedibus, manibusque in eam sententiam perquàm libenter eo.* Propter quæ ad prædeterminantium castra violentè trahitur; sed quàm immeritò, patet ex c. 9. ubi declarans quòd per istam motionem & applicationem tantùm intelligat subordinationem & dependentiam

à Dei concursu, ait: *Non enim intelligendum est voluntatem esse liberam omnino ut à nullo pendeat, nullique subjiciatur, hâc enim libertate solùm Deum liberum esse cognoscimus.* Deinde voluntatem liberam ab agente naturali distinguit in eo, quòd *positis omnibus rebus, quæ ad agendum ex parte objecti requiruntur, ita ut nihil desit, nihilve obstet, agens naturale non potest non agere; at voluntas etiam tunc potest agere & non agere, & agere illud, quod ei proponitur, vel etiam contrarium.*

Ob hæc & alia in eundem sensum, quæ habet l. 16. in c. 11. Genes. disp. 7. n. 95. à Cabrera to. 3. in 3. part. q. 62. disp. 12. §. 7. n. 148. Ledesm. de auxil. disp. 2. difficult. 2. §. *In hâc difficultate*, alijsque ex adversarijs citatur pro Molinâ, & scientiâ mediâ, teste Paul. Leonard. part. 2. n. 73. & Henao n. 159.

19. Similiter Azor Molinę ac D. Thomæ, sensu tacto sup. n. 9. non adversariorum, ut ipsi volunt, tuetur sententiam l. 1. instit. moral. c. 21. q. 8. ubi quærens, *an Deus quando cum naturâ, vel voluntate operatur, ipsam moveat & applicet ad agendum.* Respondet: *mihi videtur verissima D. Th. sententia*, scilicet affirmativa, cujus hanc dat rationem: *ideo enim dici videtur causa secunda, quia movetur à primâ, alioqui enim solùm esset causa cum primâ: sicut cùm duo simul trabem portant* &c. quæ infra

stra ad mentem Molinę explicans subdit: *cùm igitur Deus facit, ut natura faciat, non novam tribuit facultatem, & vim quâ possit, nec formam ullam quâ in se mutetur* (non ergo qualitatem Thomisticam physicè prædeterminantem) *sed solùm vult, ut faciat.* Et paulò post: *hoc autem fit, quia cùm ignis lignum urit, Deus non solùm cum igne facit calorem, quo lignum exuritur; sed etiam facit ipsam actionem, quâ lignum comburitur ab igne: hoc autem esse non potest, nisi Deus pariter faciat ut ignis urat.* Quibus verbis clarè significat Deum ex mente S. Th. cujus principijs ibi profitetur se insistere, facere ut causa secunda agat, v. g. ut ignis urat, faciendo ejus actionē, ac proinde non per concursum prævium, sed per simultaneum, quo fit agens, adeoq; movetur ad agendum; uti enim juxta S. Th. fieri est moveri ad esse, ita fieri agens est moveri ad agere, seu ad agendum, motu scilicet metaphorico, qui est transitus à non agere ad agere. Lib. 4. c. 22. q. 2. solùm vult Deum opera nostra bona prævenire, quod non negamus.

His adde, quòd P. Joan. Azor, & Benedict. Pererius, cum P. Michaële Vasquez, Greg. Valentia, Christophoro de los Cabos, Benedicto Justiniano, Petro Arrubal, Mutio Vitellesco, Bernardino Rossignolio, subscripserint cuidam tractatui (qui teste Henao n. 161. asservatur in

Bibliothecâ Collegij Societatis Vallisſoletani) efficacem gratiam phyſicè prædeterminantem validè confutanti.

20. De Henrico Henriquez hoc videtur certum, quòd (ut bene advertit Leonardi par. 2. ſect. 15. n. 71.) *in hâc materiâ aliorum ſententias, eorumque modos loquendi tumultuariè congeſtans, multa confusè ſcripſerit, quibus videtur modo prædeterminantium ſententiam, modò contrariam nunc rejectare, nunc revocare & amplecti.*

Phyſicæ prædeterminationi in ſpeciem favet l. ultim. de fine hominis, c. 4. n. 2. dum ait: *Vt Deus conditionata certò præſciat, neceſſe eſt, in ſigno rationis ſupponere liberam quandam Dei conditionalem prædefinitionem.* c. 5. n. 4. *Novit Deus in ſuâ prædeterminatione hos effectus,* ſcilicet conditionatè futuros, & c. 6. n. 1. *Nec difficile eſt intelligere quod ſalvo uſu liberæ noſtræ cooperationis Deus temperans vim ſui concursûs efficaci auxilio moveat, tum phyſicè ex parte potentiæ noſtræ, tum moraliter ex parte objecti.*

Phyſicam prædeterminationem deſtruit 1. quia infallibilem gratiæ efficaciam conſtituit non in vi ejus intrinſecâ; ſed in congruitate auxiliorum, in aptâ diſpoſitione concursûs cauſarum, ac circumſtantiarum, & in opportunâ propoſitione objecti, ut manifeſtum eſt ex ejus verbis l. de fin.

c. 5.

c. 5. n. 5. c. 6. n. 1. c. 14. n. 7. & 8. ac præsertim c. 4. n. 2. ubi ait: *Novit Deus præparare voluntatem nostram, ac munire tot, tantis, talibusque auxiliis, & causarum concursu, ac conditionibus, ut infallibile sit scientiæ divinæ secuturum effectum prædefinitum, & liberum nostræ voluntatis consensum.*

2. Quia asserit auxilium omnino idem posse in uno esse efficax, in altero carere effectu c. 14. n. 9. his verbis: *Si quis speculativè consideret duos homines omnino æquales in naturalibus bonis, habitibus, & causarum concursu, & eos moveri auxilio æquali ex parte objecti & potentiæ: non videtur implicare ex naturâ rei, ut unus cooperetur, & convertatur; altero non converso.*

3. Quia docet Deum non prædefinire, nec prædeterminare actum materialem peccati, c. 6. n. 4. ubi ait Patres, si subinde dicant Deum omnia præscire; non tamen prædefinire, ita loqui: *quia exceptum volunt actum peccati, quòd malum morale Deus non prædefinit*, & c. 4. n. 2. dicit: *Nec ulla ratio, aut authoritas cogit dicere, quòd Deus actu libero prædefinivit omnia futura conditionata.*

21. Quæ omnia manifestè repugnant physicæ prędeterminationi. Cùm verò sup. dicit Deum movere physicè ex parte potentiæ, loquitur de motu per concursum simultaneum, & per auxilia potentiam ad actus supernaturales elevantia & inclinantia. De-

Denique de hoc Authore hæc fatetur Henao eventil. 5. n. 157. *Doctor Henric. Henriquez sub Initium disceptationis inter clarissimam Familiam S. Dominici, & nostram minimam Societatem Iesu connixit aliquantulùm prædeterminationibus, multa tamen c. 4. n. 2. c. 14. n. 9. intermiscet, quæ scientiam mediam, auxiliaque efficacia non prædeterminantia concernunt. Nimirum ut ad Societatem rediyt, dimisso Dominicanorum instituto, cui se addixerat; ita etiam in opinionem Societatis volens nolens se inflexit.*

22. Fabulosùm est (quod refert Martinez de Prado) Ferdinandum Bastidam Societate egressum (*ob nullitatem*, inquit Henao n. 156., *professionis in eâ emissæ cum impedimento suscepti antea habitûs, per unum aut duos dies in aliâ Religione apud Conchensem Vrbem*) scientiam mediam, quam existens Societatis coram Pontifice defenderat, deseruisse, & ad prædeterminatorum castra transijsse: cùm ex P. Lucâ Wadingo, alijsque, qui Bastidæ Vallisoleti primariam Academię cathedram regenti convixerunt, eoque familiariter usi sunt, invictè probet Henao sup. Bastidam in scientiâ mediâ propugnandâ adeò constantem fuisse, ut Vallisoleti in proverbium abierit: *videtur Bastida nihil nisi scientiam mediam, & auxilia scire.* Cujus Henao ibid. aliud luculentum profert argumentum, quòd Bastida morti proximus testamento lega-

legarit Collegio Societatis Vallisoletano ingentia quatuor volumina continentia controversias, & acta Romæ habita de scientiâ mediâ, & auxilijs, eorumque defensionem ex mente Societatis, ut, cùm per Sedem Apostolicam licebit, typis mandentur.

23. P. Michaël Marcus in suis manuscriptis in 1. p. q. 13. a. 7. & in 3. p. q. 68. a. 1. quæ in Salmanticensi Collegio prælegit, solùm docuit (quod etiam sæpius inculcat Henriq. sup.) auxilium semper esse majus, nempe moraliter, non entitativè, in eo qui convertitur, quàm in altero qui non convertitur, & insuper admisit prædefinitiones; at non per media intrinsecè efficacia, ac proinde etiam inaniter (ut monstrat Henao n.480.) citatur à Ledesma tract. de auxilijs, q. 1. §. *Ex hâc sententiâ*, pro physicâ prædeterminatione.

Alphonsus Salmeron to.4. in Evang. p. 3. tract. 14. in illud Matth. 11. *Væ tibi Corozaim*, §. *Ad 2. q.* & l. 1. comment. in Paul. p. 2. disp. 21. §. *Quæ verò asserit*, & disp. 21. c. 8. ad Rom. §. *Infertur ergo*, docet Deum cognoscere certò & infallibiliter futura conditionata libera non in causis, qualia sunt decreta antecedenter efficacia, & prædeterminationes physicæ, sed in seipsis immediatè: adeoque etiam hîc parum fideliter adducitur ab adversarijs pro firmandâ præmotione physicâ.

Cos-

Cosmus Alamannius in summâ Philosophiæ, D. Th. 1.2. q. 11. a. 4. nullo modo indicat, ut falsò ei imponit Gonetus sup. prædeterminationem physicam esse D. Thomæ, cùm de illâ ne vel verbum faciat, sed præcisè referat sententiam & verba, quibus S. Th. docet, *Deum operari in naturâ & voluntate operantibus*, eas movendo, applicando, & faciendo vt operentur, quæ omnia rectè explicantur per causę ac virtutis productionē & conservationem, per approximationē ad passum & cęteras concausas, ac præsertim per concursum simultaneum causam secundam applicantem, seu conjungentem suo operi.

24. Conimbricenses 2. Physicor. c. 7. q. 13. a. 1. habent quidem hæc verba: *circa modum, quo Deus cum causis secundis ad earum operationes & effecta concurrit, se offert celebris opinio D. Th. 1. p. q. 105. a. 5. & 1. 2. q. 109. a. 1. q. 7. de potentia, a. 7. ejusque sectatorum Capreoli, Ferrariensis, & aliorum existimantium omnes causas secundas, anteqnam operentur, accipere à Deo influxum quemdam, & motum, qui sit quasi esse intentionale virtutis divinæ, quo ad promendas actiones excitentur.* istis tamen verbis non fatentur, ut vult Gonetus, S. Thomam varijs locis docuisse prędeterminationem physicam, sed solùm loquentes ex sensu & interpretatione multorum Thomistarum, opinionem de influxu

causæ

causę primę in secundas ut agant, vocant S. Thomæ, cujus mentem ibi non examinant: imò a. 2. immediatè sequenti istam opinionem cõfutantes, ejusque fundamenta evertentes, D. Thomam pro se citant, uti & q. 15. a. 2. pro hâc conclusione prædeterminationi repugnante: *actio causæ primæ determinatur quo ad speciem ab actione causæ secundæ.*

25. Deniq; etiam Molinam pro prædeterminatione physicâ ut assertâ à D. Th. perperam citat Gonetus sup. n. 8. &, si illum legit, non satis sincerè, etsi enim Molina in concordiâ q. 14. disp. 26. init. habeat verba à Goneto relata; ijs tamen non fatetur S. Th. admisisse prædeterminationem physicam: sed docuisse Deum duplici ratione operari cum causis secundis, nempe ijs virtutes dando, & eas movendo & applicando, tum §. *duo autem* fin. fatetur sibi difficilem esse motionem à S. Th. 1. p. q. 105. a. 5. requisitam, deinde §. *dicendum itaque* sub medium illam explicat de concursu simultaneo his verbis: *quidquid autem sit de loco illo paulo ante citato, fortè neque D. Th. à nobis dissentit. Caiet. namque, qui modum loquendi D. Th. servat, ita 1. p. q. 14. ad a. 13. suam ac D. Th. sententiam interpretatur, ut prorsus nobiscum consentiat.* Denique ibid. disp. 53. memb. 2. post med. § *solent authores*, dicit quod adver-

adversariorum præfinitiones, pro quibus cum arbitrij libertate conciliandis ad ignorantiæ anchoram confugiunt, *à paucissimis scholasticis sint assertæ, imò sub eo nomine ante triginta annos inter Catholicos inauditæ.* Et infra, *quod neque SS. PP. neque S. Th. alijsque inter scholasticos proceres ad tale confugiant asilum.* & q. 23. disp. 1. memb. 6. post med §. *quod ad Aug.* vbi sic loquitur: *Quare dubitandum non est, si eâ de re vel Aug. vel D. Th. consulerentur, continuò responsuros fuisse prædestinationem non sine præviâ scientiâ usus liberi arbitrij futuri* (scilicet conditionatè) *tametsi non, vt pro qualitate illius dona gratiæ à Deo conferrentur.* Hæc si advertisset Gonetus tantum prædeterminationis hostem in suæ sententiæ subsidium vocare non præsumpsisset.

Similiter de concursu simultaneo intelligendi sunt Costerus in Enchiridio controversiarum c. 5. de lib. arb. §. *magna autem* vbi ait: *Difficultas est quomodo liberè agam, vt possim non agere, si Deus non modo prævidit multò ante futurum, quod ago, sed etiam me iuvat in agendo, adeoque me movet, ut agam.* Et Petrus Canisius pro concursu prævio à Sylvio &, alijs adductus. V. Henao n. 462. & seqq.

26. Ex his vides, lector benevole, dissipatam nubem testium, quâ immeritò gloriatur Gonetus tom. 7. disp. 6. a. 2 §. 4. dum ait: *Tantam*

ergo

ergo habentes nubem testium, qui prædeterminationem physicam esse à S. Th. assertam ingenuè profitentur, de mente hujus S. D. dubitare non licet. Unde etiam habes vanam esse ejusdem jactantiam ibidem sibi inaniter applaudentis, his Novatiani verbis c. 18. de Trin. *Firmum est genus probationis quod ab adversarijs sumitur, ut veritas etiam ab ipsis inimicis veritatis probetur:* Et his Eucherij, homil. 2. de Paschate: *Varijs enim, absque dubio, nititur privilegijs, qui causam de adversarij asserit instrumentis. Speciosa victoria est, contrariam partem chartulis suis, velut proprijs laqueis irretire.* Quæ in ipsum verissimè retorqueri posse negare non poterit quisquis non alienis, sed proprijs oculis legerit Bellarminum, Toletum, & alios, quos adeò infeliciter pro se citat, *ut se chartulis suis, velut proprijs laqueis irretierit.*

§. II.

Authores à Prædeterminatoribus concessi contra prædeterminationem physicam.

27. SEcundo loco contra prædeterminationes physicas, tanquam indubitatos ejus hostes,

 eos

eos produco, quos contra se pro Molinâ pugnare fatentur adversarij Bannes, Ledesma, Josephus à S. Mariâ, Franciscus à Raujo Dominicani, alijque apud Paulum Leonar. p. 2. sect. 4. n. 18.

Et quidem Bannes 1. p. q. 23. ar. 3. dub. 2. §. *Secundus sensus*, ubi, postquam proposuit Molinæ sententiam de voluntatis determinatione à seipsâ, non à Deo, dicit: *Illa doctrina in isto sensu accepta placet quibusdam Theologis peritis, inter quos est Ruardus Taperus in art. 7. de libero arbit. propos. 7. & 10. Capreolus in 2. dist. 28. q. 1. a. 12. refert sententiam Greg. Arimin. qui partim consentit huic doctrinæ, & Capreolus sequitur Gregorium. Sed infra ostendetur clarissimè, quòd sit falsa ista sententia.* Iterùm Ruardum pro eâdem doctrinâ citat ibid. dub. 3. concl. ultim. §. *Neque rursùs*, & 2. 2. q. 10. a. 10. docum. 3. ubi illum appellat Virum *eruditum, & Catholicum.* Ejusdem sententiæ etiam agnoscit Thomistarum facilè Principem Caietanum, dum q. 19. ar. 8. §. *Sed tanquam*, illum, ut sibi eodem art. in explicatione concursûs causæ primæ cum secundis, manifestè contrarium acriter refellit, his verbis: *Sed displicet quod ait Caietanus, virtutem primæ causæ modificari per secundam, non tamen impediri: quod quidem ego falsum reputo, si de primâ causâ universalissimâ, qualis est divina voluntas, intelligatur.*

Imò

Imò verò divina voluntas omnia modificat, dum causa est universalissima, & efficacissima cujuslibet rei, & quantùm ad fieri, & quantùm ad esse, & quantùm ad modum: neque respectu attingentiæ activæ divinæ voluntatis potest dari aliqua causa, ut dixit Caiet. quæ in aliquo genere illam modificet. Ista autem modificatio voluntatis increatæ per creatam à Caiet. admissa, & à Ban. cum censurâ falsitatis operosè rejecta aliud non est, quam determinatio, quâ juxta Mol. Suar. & alios, causa secunda primam determinat ad speciem, & exercitium. Ut patet ex confirmatione, quam adversus Caiet. ibid. subjungit Ban. his verbis: *Confirmatur, quia esset ponere maximam imperfectionem in Deo, asserere quòd, quemadmodum idem omnino concursus Solis producit distinctos effectus, quia modificatur per distinctas causas inferiores, ita concursus divinæ voluntatis, quantùm est ex parte suâ, manet indifferens; sed modificatur & determinatur ad distinctos effectus per distinctas causas inferiores.*

28. Ledesma verò tract. de auxil. sub init. in fundamentali quæstionis propositione, pag. 6. *Secunda*, inquit, *sententia est, quòd nostra voluntas in operatione supernaturali non prædeterminatur à Deo, nec ab aliâ causâ extrinsecâ; sed ipsa voluntas seipsam determinat.* Et paulò post pag. 7. subdit, *hanc sententiam ita declaratam tenent* MULTI THEOLOGI ANTI-

qui et moderni. Marsil. in 1. dist. 45. a. 2. Alensis 1. p. q. 28. a. 1. memb. 1. S. Bonaventura in 2. dist. 37. q. 1. a. 1. Gabriël in 2. dist. 1. q. 2. a. 2. concl. 4. & a. 3. dub. 5. & dist. 37. a. 1. q. 1. Gregorius in 2. dist. 34. q. 1. a. 3. ad 8. Henricus quodlib. 4. q. 19. & quodlib. 8. q. 5. Catharinus l. 1. de prædest. Driedo l. de captivitate, & redemptione generis humani, in tract. de præparatione ad gratiam. Decanus Lovaniensis (id est, Ruardus) ar. 7. contra Lutherum. Albertus Phigius l. 3. de lib. arbit. c. 3. Hieron. Osorius l. 9. de justificatione. Julius Sirenius l. de prædestinatione. Sadoletus in epist. ad Rom. c. 8. Cordubensis in suo quæstionario, l. 1. q. 55. dub. 10. Vega l. 13. in Conc. Trid. c. 13. Capreolus etiam videtur fuisse hujus sententiæ in 2. dist. 45. q. 1. ad 5. contra 2. part. quintæ concl. Caietanus etiam favere videtur huic sententiæ 1. part. q. 14. a. 13. §. *Nec sustinendus.* Istam sententiam sequitur Carthagena l. de prædest. hominum & Angelorum, præcipuè discursu 10. Molina de concordiâ. Suarez l. de auxilijs. Deinde a. 2. §. *Alij verò*, contra prædeterminationem adducit Joan. Vincentium Dominicanum 1. p. q. 19. a. 8. Denique a. 3. §. *Secunda sententia* contra concursum generalem previum citat Scotum in 4. dist. 1. q. 1. ad ultim. Gabriëlem in 1. dist. 45. & in 2. dist. 1. q. 2. Ricardum,

dum, & Almainum eodem loco. Gregorium in 2. dist. 28. q. 1. a. 1. ad 12. Caietanum 1. p. q. 14. a. 13. & q. 19. a. 8. Decanum Lovaniensem, Mol. Suar. Vasq. Abulensem, Waldensem, Stapletonum locis citatis à Paul. Leonardi p. 2. n. 18.

Josephus autem à S. Maria in tract. Thomistico de lib. arb. q. 4. a. 3. allegat pro Molinæ sententiâ adversùs prædeterminationem, Gabriëlem, Gregorium. A. 4. Alensem, Ruardum locis à Ledesmâ sup. cit. & a. 6. §. *Prima opinio*, superaddit Occhamum in 2. dist. 38. q. unicâ.

Denique Franc. à Raujo tom. 2. Metaph. l. 8. q. 9. a. 4. in dub. appendice, n. 34. ex antiquis Molinæ donat Alens. Marsil. Gabriël. locis sup. cit. ex recent. Catharin. Bellarm. Conimbricenses, atque hi ex familiâ S. Dominici.

Ex alijs autem qui decreta physicè prędeterminantia defendunt, Zumel to. 1. variar. disp. 5. sect. 1. Molinę concedit Waldensem to. 1. doctrinalis fidei, c. 25. & ait, Abulensem ad eandem sententiam propendere q. 76. in c. 11. Josue.

Franciscus de Herrera Minorita to. 1. in 1. sent. disp. 24. q. unicâ, in 2. sententiâ pro Molinâ adducit adversùs volitiones Dei prædeterminantes ex sup. relatis Alens. Gregor. Wald. Ant. Cordub' Olor. Julium Sirenium, Carthag. Catharin. quibus superaddit Cosmam Philiarchum

 l. de

l. de prædest. c. 11. pag. 104. Bartholom. Camerarium in Dialogo Catholico, c. 9. §. 4.

Petrus de Cabrera to. 3. in 3. p. q. 62. a. 1. disp. 8. §. 2. n. 19. contra easdem volitiones producit Scot. in 4. dist. 2. q. 1. ad ult. Gabr. Ruard. & disp. 19. §. 2. n. 4. Carthag. Ant. Cordub. & disp. 12. §. 7. n. 148. refert pro scientiâ mediâ Alphons. Mendozam, q. 7. Scholastica, & Stapleton. in c. 9. ad Rom.

Petrus Trigosus in 1. p. S. Bonaventurę q. 15. a. 2. dub. 3. §. *Hæc quæstio*, Molinæ adscribit Catharin. Osor. &c.

Henriquez de Villegas Primarius Complutensis in Controversijs de Deo uno, controv. 12. disp. 1. c. 1. eidem adjungit Cordub. Siren. Osor. Camerar. & controv. 4. disp. unic. c. 1. ait: opinionem de scien. med. haustam esse ex Occhamo in 1. dist. 38. q. unic. §. *Ideò dico*. Greg. Aliaco, Gabriële: hos & alios ad 30. Doctores omni exceptione majores ab adversarijs, qui acuratiùs hanc Controversiam examinarunt, Molinæ donatos fideliter recenset Paul. Leonardi part. 2. sect. 4, n. 18. & 19. locis quibus ejus principijs insistunt exactè citatis.

§. IIJ.

§. IIJ.

Authores qui ante Controversiam de auxilijs scripserunt contra Prædeterminationem Physicam.

29. TErtio loco aliquos recenseo ex ijs, qui ante excitatam celebrem illam inter Jesuitas & Dominicanos de auxilijs concertationem, doctrinam prædeterminationi physicæ contrariam typis vulgârunt; quos supra centum & quinquaginta locis fideliter notatis refert Henao eventil. 43. n. 915. & seqq. eos autem claritatis causâ in decem classes distribuit, in primâ recenset 52. è statu Ecclesiastico sæculari, in secundâ quinque ex Ordine S. Benedicti, in tertiâ duos ex Ordine Carthusian. in quartâ triginta tres ex Ordine S. Dominici, in quintâ triginta duos ex Ordine S. Francisci, in alijs alios ex alijs Ordinibus. Illorum testimonia fusè enarrata & diligenter expensa habentur apud Suarem to. 2. de grat. l. 5. c. 50. Ruiz disp. 49. de scient. Dei, & disp. 67. Fasol. in 1. p. q. 14. a. 13. dub. 17. Aldret. to. 1. in 1. p. disp. 28. ex quibus convincitur falsum esse quod dicit Aluarez l. 1. Responsionum, c. 1. n.

37. *Habemus ergo nullum ex DD. Scholasticis, qui ante 40. annos scripserunt, docuisse, vel insinuasse scientiam mediam; sed potiùs ejusmodi scientiam cum eorum dictis stare non posse.*

Ex illis 100. & 50. ab Henao allegatis paucos seligo, quorum subinde verba ad fidem faciendam profero, sic tamen ut eorum censuras, aut acerbiores loquendi formulas nullo modo approbem, sed more ab adversarijs recepto sup. n. 6. solùm recitativè referam.

SÆCULARES.

30. Itaque ex antiquioribus Ordinis Ecclesiastici sæcularibus doctrinam, quam hîc authoritate stabilio, ejusve principia amplexi sunt, atque ita Molinæ, alijsque prædeterminationis physicæ oppugnatoribus præluxerunt

Altisiodorensis l. 2. summę Theol. tract. 2. c. 3. ubi admittit æqualitatem gratiæ in duobus, quorum unus peccet, alter non: *quod contingit* (inquit apud Henao n. 916.) *propter libertatem arbitrij, quæ sola est causa peccati non necessaria.*

Henric. à Gandavo quodlib. 12. q. 26. post med. ubi sic loquitur: *Vt à causâ propter quam sic non movetur voluntas, neque actuatur, nisi à seipsâ:* per *causam propter quam sic* (interprete Ruiz disp.

49. sect. 5. n. 19.) intelligit causam, quâ positâ non potest non poni effectus, cæteras causas etiam realiter influentes comprehendit sub nomine *causæ sine quâ non.* Et inf. *Sic voluntas seipsâ exit in actum volendi absque omni aliâ dispositione, seu motione existente, seu præcedente in eâ. Talem enim motionem non requirit ad hoc quòd exeat in actum volendi, neque à seipsâ agente illam, neque à quocumque agente alio. Imò prima motio voluntatis non est nisi volitio, quam habet à se, non ab alio, neque etiam à Deo.*

31. Abulensis in Matth. c.22.q.229.prope med. *agens liberum indeterminatum est, & ipsum se determinat.* Plura apud Ruiz disp.49.sec.5.n.38.

Gabriël in 1. dist. 38. q. unic. a. 1. ante 1. concl. *potest prior causa* (id est, prima, cujus motionem ibi conciliat cum libertate creatâ) *ita movere posteriorem* (id est, secundam) *& tamen posterior propter sui libertatem non parere huic motioni.* In 2. dist. 37. q. unic. a. 1. *Primam causam concausare habet voluntas creata in suâ potestate.* Et inf. *Voluntas creata non sic movetur à primâ causâ, quasi aliquid de novo causet vel influat in voluntate, quo voluntas velit, sed quia produxit voluntatem liberam, ponens actum suum in suâ potestate.*

Marsil. in 2. q. 16. a. 2. dub. 1. ad 3. *Causa determinans ad hanc volitionem est sola voluntas,*

nunc acceptans quod ante non voluit acceptare, iisdem existentibus impellentibus. Et ad 4. rationem principalem: *Quamvis concursus divinus requiratur ad voluntatis liberam electionem; tamen quia statuit se Dominus cum liberâ voluntate concursurum qualitercumque eligere vellet, ideo manet libertas voluntatis, ut eligat sicut libet.*

Major in 2. D. 25. q. 1. ad 2. *Potest dici Dei concursus quodammodo dependere à nostrâ voluntate, cùm est paratus coagere, vel non coagere ad nostrum nutum.* Et q. 3. sub fi. *Voluntas suâ libertate se determinat, nec quærendum est aliud ab eâ per quod se determinet.*

Ruardus Taper. a. 7. de lib. arbit. propositione 7. *In eo qui sequitur vocationem credendo vel pœnitendo, & in alio, qui eam negligit, potest esse idem conversionis & fidei principium. Adeò ut ex solâ eorum libertate unus negligat vocationẽ, & alter credat: nec aliquid positivũ absolutum est ante actionem in uno quod non in alio.* Unde propos. 4. ait: *Omnes gratiæ quæ sunt nobis operandi principia, quæ præcedunt tempore vel naturâ Dei operationem efficacem* (quâ nobiscũ agit) *possunt esse sine usu & fructu.*

Driedo de redemptione generis humani, tract. 4. c. 2. concl. 5. *Ex duobus impijs æqualiter indignis, æqualiter divinis instinctibus pulsatis, atque admonitis ad fidem aut pœnitentiam, contingit alterum non reluctari, alterum verò resistere, & manere in obstinatione.*

32.

32. Franciſcus Belcarius Epiſcopus Metenſis in opuſculo adversùs Calvini dogmata, apud Henao n. 452. ſic habet: *Nos itaque contrariam ſententiam probamus, hoc eſt, Dei decretum ſive prędeſtinationem divinæ præſcientiæ eſſe cauſam negamus. Negamus verò, ideo dumtaxat Deum omnia prævidere, quòd ita ut fierent, decrevit, ut temerè aſſerit Calvinus, alioqui fatalis quædam in rebus omnibus inveheretur neceſſitas. Nec dico fatalem, qualem ſtoici ex connexione cauſarum ſibi mutuò neceſſitate quâdam ſuccedentium, ſed fatalem neceſſitatem appello, quæ ita æterno Dei decreto inſtituta eſt, ut aliter evenire non poſſint, quàm & Calvinus, Calvinianique admittunt, rectè-ne, an ſecus? mox videbimus.*

Joan. Arboreus to. 1. theoſophiæ, l. 4. c. 11. prædeterminationibus adverſari conceditur ab Aluar. l. 1. reſponſ. c. 1. n. 36. & ab Ant. de Matre Dei, ar. 3. diſp. 10. dub. 8. §. 2. n. 131. & 135. eoque ipſo idem conceditur de S. Aug. cujus (l. exceptionis propoſitionū epiſtolæ ad Rom. propoſitione 55.) ſunt hęc verba: *Hoc propoſitum ad præſcientiam & prædeſtinationem Dei pertinet, nec prædeſtinavit aliquem, niſi quem præſcivit crediturum, & ſequuturum eſſe vocationem:* Ab Aluar. putata Joan. Arborei, ut poſt Faſolum q. 14. a. 13. dub. 17. n. 313. Annatum in Auguſtino à Baianis vindicato, l. 8. c. 4. pag. 880. & Aldretum diſp. 28,

ſect.

sect. 12. n. 6. & seqq. notat Henao n. 942.

Staplet. in Antidotis Catholicis, circa c. 11. ad Rom. *Est in Deo præter scientiam naturalem & liberam alia scientia inter utramque media eorum, quæ ex hypothesi novit.* Quibus conformia habet circa c. 11. Matth. 15. Joan. 9. Act. Apost. In Promptuario Catholico, feriâ 6. hebdomadæ 1. Quadragesimę, & feriâ 2. hebdom. 3. ubi, & alibi sępius, tam clarè (inquit Henao n. 782.) tradit Societatis doctrinam, ac Molina, & Suar.

Cunerus Petri Episcop. Leowardiensis c. 10. de lib. arbit. *Verissima est propositio Driedonis & Ruardi: quòd ex similiter tractis, & internè vocatis unus convertatur, & alter non, contingere potest ex solâ arbitrij divinitùs præparati libertate.*

Ferdinand. Vellosius Episc. Lucensis, antea Professor Salmant. in advertentijs ad tom. 3. S. Chrysost. q. 2. pag. 44. ait (apud Henao n. 453.) *Concursus Dei non infert mihi necessitatem, simpliciter enim possum non uti illo & non agere, & ita in potestate mea est efficere, quod Deus non concurrat.*

33. Joa. de Bononiâ Archidiac. Panormit. olim Lovanij Theolog. Professor, & Concil. Tridentini, dum celebraretur (ut ipsemet testatur) inspector, in opere de æternâ Dei prædestinatione Lovanij edito apud Anton. Mariam Bergagne anno 1565. tit. de lib. arb. sub init. pag. 103. *Cæterùm*

terùm quia non desunt modò homines, quamvis omni pietate præditi, aliter de libero hominis assensu, dum justificamur, quàm nos sentientes; ac ideo hujus œcumenici Concilij clarissimam doctrinam obscurare quodammodo conari videntur, dum dicunt habere hominem libertatem arbitrij, ut excitationi, admonitioniq; resistere possit; sed his divinis inspirationibus atque monitionibus suppositis nullum resistere arbitrium. Obscurare autem dixi, quoniam ex dicto Reverendissimi D. Hieronymi à Bononiâ Sanctissimæ Sedis Apostolicæ Nuncij dignissimi, nec-non Archiepisc. Compsani, Profess. Theolog. peritissimi, atque (ante suam assumptionem ex S. Ord. Prædicatorum) *Sacri Palatij Magistri eximij, apud Carolum V. residentis; eandem opinionem in S. Tridentinâ Synodo fuisse summâ diligentiâ à PP. discussam, & tanquam minus probabilem optimo jure percepi rejectam.* Hæc scripsit Joan. Bononia viventibus plerisque eorum, qui Concilio interfuerant, nempe annis duobus postquam fuit an. 1563. absolutum, & deponit se illud accepisse ab illustrissimo Viro Ord. Prędicatorum Mag. Fr. Hieron. Mazarello Bononiensi; sic enim istum Archiepiscopum Compsanum (adhuc in vivis dum ipsum testem appellaret Bononia) nominat Fr. Alphonsus Fernandez in Catalogo Magistrorum Sacri Palatij. Ita referunt Paul. Leonar. part. 2. n. 94. Henao in 2. editio-

ne

ne scient. med. n. 414. & seqq.

REGULARES.

34. E Regularibus, ante controversiam de auxilijs, Societatis doctrinam, ejusve principia tradiderunt

Dionys. Cisterciens. in 2. dist. 25. q. 2. ar. 2. præambulo 2. *Necessitas antecedens est causa activa, quâ positâ cum omnibus præviè requisitis ad aliquem effectum producendum, & cum quibus effectus ille producitur, non stat effectum illum non produci.* Et in 5. concl. *Divinum prævelle, seu præmotio divina ad hoc quòd voluntas* A. *possit producere actum* B. *non est antecedens necessitas ad effectum* B. *ab* A. *producendum: quia stante tali motione, vel prævolitione cum omnibus prævijs ad* B. *stat voluntatem* A. *non producere actum* B.

Dionys. Carthus. in 1. dist. 39. q. 2. concl. 3. *Si humana voluntas inevitabiliter* (nempe inevitabilitate antecedente) *tenderet in finem per divinam providentiam, tolleretur à libero arbitrio conditio suæ naturæ.*

35. Ex Ordine S. Augustini, Hugo Victorin. in annotationibus elucidarijs epist. ad Rom. c. 9. sub init. q. 2. *De duobus*, inquit, *quæritur æqualiter in peccato jacentibus, quibus gratia Dei æqualiter pro-*

poni-

ponitur & offertur: Vnde fit quòd alter ei consentiat, & ab altero respuatur? solutio: utrique data est gratia, quâ potuit consentire: alterius tamen mens mota est, & consensit; quòd de bono naturæ potuit, quia velle adjacebat ei: quod ante gratiam implere non potuit, per gratiam quidem excitata est, & surrexit. Alter, cùm posset, non consensit, sed gratiam oblatam sponte rejecit, ut apparet in Solis radio, & in duobus in foveam lapsis: qui oculos aperit, videt non sine Solis claritate: qui oculos claudit, non videt. Sic qui manum meam apprehendit, extrahitur à me de foveâ; qui autem negligit, nec nititur cum auxilio sibi exhibito, non exit.

Richard. Victorin. de statu hominis interioris, p. 1. tract. 1. c. 13. *Liberum arbitrium potest consentire, & non consentire inspirationi divinæ, & similiter suggestioni diabolicæ.* Atqui huic potest consentire, & non consentire in sensu composito, ergo, ex mente hujus D. & illi.

Argentinas 1. dist. 40. q. 1. a. 3. §. *Restat*, ait: quædam evenire necessariò, quædam contingenter: *quia quædam entia procedunt immediatè ex causis determinatis, alia autem procedunt immediatè ex causis indeterminatis*: adeoque non ex prædeterminatis. Et ad 1. contra Ciceronem: *Contingentia nullam habent entitatem determinatam in suis causis proximis*: quod falsum esset, si causæ pro-

xime

ximæ essent physicè prædeterminatæ.

Greg. Arimin. 2. dist. 28. q. 1. a. 2. ad 12. *Ad productionem actûs mali solùm primo modo Deus concurrit; quia non facit, voluntatem agere actum malum.* Istum autem primum modum paulò superiùs dicit non esse aliud, nisi *juvare ipsum actum immediatè, & partialiter coëfficiendo, qui est modus communis, quo concurrit ad cujuslibet creati agentis quemlibet effectum.* Et dist. 34. q. 1. a. 3. ad 8. concedit *Deum voluntariè coagere ad actum malum, seu sequi determinationem voluntatis: quoniam ideò Deus agit illum actum, quia eum voluntas agit; & non ideo quia Deus agit, ideo voluntas: & ideo magis propriè dicitur Deus coagere voluntati in causando talem actum, quàm voluntas dicatur coagere Deo.* Hanc doctrinam ijsdem verbis refert ac recipit Capreolus in 2. dist. 37. q. 1. a. 3. ad 2. Aureoli.

Arragon 2. 2. q. 24. a. 3. dub. 1. notab. 2. de auxilio efficaci sic loquitur: *Verissimè dicitur quòd qui caret hujusmodi auxilio, ideo caret, quia non vult se convertere: sicut verè dicitur, quòd qui sedet caret concursu generali Dei ad currendum, quia currere non vult.*

36. Ex Ordine S. Francisci, Alensis 1. p. q. 4. membro 4. *Dicendum ergo quòd voluntas beneplaciti est respectu bonorum dupliciter, aut cum prædeterminatione, ut eorum quæ non sunt in potestate arbitrij;*

& hæc sunt alligata necessitati; aut sine prædeterminatione, & hoc modo est bonorum, quæ sunt in potestate arbitrij; sic enim vult illa bona, ut relinquat nostræ facultati & voluntati, non compellat, &c.

Bonaventura in 2. dist. 37. a. 1. q. 40. ad ultim. *Deus est principale movens in actione, quæ est substrata peccato: attamen non sequitur ex hoc, quòd excitet liberum arbitrium ad faciendam illam operationem; sed ibi est solùm cooperatio divinæ virtutis, non preventio.*

Aureol. 1. dist. 38. q. 1. a. 1. propos. 1. *Manifestum est quòd determinatio voluntatis divinæ non est causa contingentium futurorum, saltem omnium; quia non est causa actuum qui eliciuntur à libero arbitrio, & maximè peccatorum, quia Deus non est author malorum.* Et inf. *Fortè dicetur, quòd licet divina voluntas non determinet ad deformitatem peccati, determinat tamen ad actum substratum, cùm sit aliquid positivum.* Quam responsionem sic reijcit, *quòd si ita dicatur, non valet: impossibile est enim, quòd aliquid determinet ad actum, quin determinet ad deformitatem inseparabilem ab illo actu; sed deformitas est inseparabilis ab actu odij divini, ergo si Deus determinet voluntatem creatam ad talem actum, determinabit ad deformitatem ac peccatum.*

37. Occham 1. d. 38. q. unic. ubi sic refellit à nonnullis assertam divinæ voluntatis determi-

minationem, in quâ omnia cognoſcantur à Deo. *Non videtur quòd certitudo actuum futurorum voluntatis creatæ poſſit per prædictam determinationem ſalvari: quia ſi reſpectu omnium divina voluntas eſt determinata, quæro, an illam determinationem neceſſariò ſequitur determinatio voluntatis creatæ? ſi ſic, ergo ita naturaliter agit voluntas creata, ſicut quæcumque cauſa naturalis; quia voluntate divinâ ita exiſtente determinatâ, voluntas creata non haberet in poteſtate ſuâ non coagere. Si autem determinationem voluntatis divinæ non neceſſariò ſequitur determinatio voluntatis creatæ, ergo ad ſciendum quòd effectus poneretur, vel non poneretur, non ſufficit determinatio voluntatis divinę.* Hucuſque Occham, cujus ratiocinationem approbat Gregorius Arimin. 1. diſt. 38. q. 1. a. 2. §. *Præterea conceſſo.* Eâd. q. poſt med. addit Occham: *Voluntas creata ceſſare poteſt ab actu cauſandi ſe ſolâ, quantumcumque nullum prædictorum deſit.* Inter quæ prędicta ponit *Deum volentem coagere* cum cæteris requiſitis ad operationem.

Delphinus Generalis Franciſcanorum, qui interfuit Conc. Trid. l. 4. de lib. arb. §. *Probatur*, ait, *cauſas, quæ ſecundùm electionem agunt, ſic movet Deus, ut eas minimè determinet ad unum, ſed ipſæ à Deo motæ ad aliquam partem contradictionis pro libito ſuo ſe determinant: alioquin ſi determinarentur aliunde, jam non agerent ſecundùm judicium, propoſitum, & electionem.* An-

Anton. Cordub. l. 1. quæstionarij, q. 55. dub. 8. prope ultimam opinionem Gabriëlis: *Priùs ordine naturæ determinatur divina voluntas à nostrâ voluntate, quàm ipsa se determinet ad volendum & concurrendùm cum nostrâ voluntate ad productionem talis actûs*. Et dub. 10. resp. 5. *Ubi*, inquit, *conceditur, quòd divina voluntas, ejusque concursus, est causa prævia in causando; quòdque eâ stante, jam nostra voluntas, quamvis necessitate consequentiæ, necessariò producit suum actum, ita quòd tunc non potest, nec potuit non producere, nec tollere causam necessitantem, id est, concursum illum, ergo jam semper necessitatur à causâ extrinsecâ, scilicet à Dei voluntate, sive concursu: & ita nunquam liberè libertate absolutâ producet suos actus, & cum concursu divino non stat libertas nostræ voluntatis*, ita refert Fasol. q. 14. a. 13. D. 17. n. 319.

38. Denique prædeterminationem physicam, quæ fiat per realitatem aliquam physicam voluntati impressam, priùs naturâ, quàm eliciatur volitio libera, reijciunt ut libertatis destructivam Scotus, & sapientissima juxta ac numerosissima ejus schola, saltem communiter. Et quidem id de suo subtili Magistro uberrimè demonstrant Frat. Angel. à Monte piloso tom. 2. 1. partis Commentariorum in Scot. disp. 47. a. 5. & 7. Frat. Ildeph. Brizerio tom. 2. in 1. Scot. controv. 11.

dist. 2. a. 2. n. 11. 14. & 20. Fr. Philip. Faber in 1. sent. disp. 39. q. unic. disp. 54. c. 4. n. 37. & c. 5. n. 47. & 49. Ac tandem in Scoto (cujus opera summâ diligentiâ & eruditione à mendis purgavit, & scholijs illustravit) longè versatissimus Reverendissimus D. Fr. Hugo Cavellus Archiepiscop. Armacanus in Supplem. ad qq. librorum Scoti de animâ, disp. 3. sect. 14, n. 6. ait (inquit Leonar. p. 2. n. 20.) Scotum passim docere prædeterminationem physicam esse reijciendam.

Ejusmodi autem prædeterminationem evidenter reijcit Scot. in 2. d. 25. q. 1. §. *Dico ergo*, n. 22. *Quod contingenter, hoc est, evitabiliter evenit, non evenit à causâ determinatâ; quia pro eo instanti, quo est sic determinata, effectus non potest evenire contingenter; ergo à causâ indeterminatâ ad alterutrum oppositorum, quæ causa potest seipsam determinare contingenter, vel non inevitabiliter ad unum illorum.* Quæ verba Hugo Cavellus hoc illustrat scholio: *Resolvit Doctor, nihil aliud à voluntate esse causam totalem volitionis, & præter allata, addit quòd aliàs nihil eveniret contingenter, de quo habet subtilissimum discursum directè destruentem prædeterminationem physicam voluntatis.* Et in 4. dist. 1. q. 1. §. *Dico etiam*, n. 34. vers. *Ex hoc*, ubi ait: *Ex hoc patet, quòd causæ primæ in secundam propriè dictam, quando simul agunt, non est influentia nova, quæ sit creatio alicu-*

jus

jus rei inhærentis causæ secundæ: sed influentia ibi est determinatus ordo istarum causarum in agendo communem effectum: quibus in margine adnotat Cavel. *hæc contra prædeterminationem physicam, quam ubique reijcit*, 4. dist. 43. q. 3. §. *Tertia opinio*, vers. *Præterea*, ubi iterùm dicit quòd *influentia illa non est aliquid absolutum receptum in causâ secundâ*, 4. D. 49. q. 6. §. *Dico ergo*, vers. *Sic dico*, ubi ait: *Nunquam causa secunda præventa à causâ superiori, agente ad unum oppositum potest potentiâ propinquâ exire in aliud oppositum*: Hoc est, inquit Cavel. in marg. *Causa secunda præventa à primâ determinante ad unum non potest in oppositum.*

Hinc Cavellus 2. dist. 37. in scholio ante §. *ad solutionem*, n. 14. ait: *Ex quo patet clarè Deum* (ex mente Scoti) *non prædefinire absolutè actum peccati, nullâ cooperatione nostrâ prævisâ: alioquin certè non esset paratus, quantum est ex se, actum bonum causare: si antequam videret quid ego essem facturus, decrevit talem actum à se, & à me fieri debere. Sic sentire videntur Scotistæ, Leuch. Bassol. Tartaret. Angl. Maj. Veg. Faber in* 1. *d.* 39. & 45. *c.* 5. *qui ponit expressè scientiam conditionatam secundùm Scot. ne admittat decretum determinans nostros actus ante omnem prævisionẽ nostrę cooperationis. Herr.* Et inf. addit Cavel. *Secundùm Scotum non stare libertatem causâ superiore præveniente secundam, & agente ad unum opposi-*

 tum.

tum, ita habet 4. d. 49. q. 6. §. Dico ergo, &c. quòd si admittatur scientia conditionalis, quam videtur Scotus varijs locis insinuare, salvari possunt decreta Dei, de omnibus actibus nostris illæsâ libertate. V. quod notavi 1. d. 39. Quòd verò causa secunda determinet causam primam ad hunc vel illum effectum docet Scot. expressè 2. Physic. q. 8. §. Quantum ad quartum. Eadem repetit in alio schol. apud Paul. Leonar. p. 2. n. 20. ubi ita concludit: *Vnde communiter Scotistæ talem prædefinitionem absolutam negant.*

39. Ex Ordine Carmelitano Waldensis l. 1. Doctrinalis fidei, c. 25. sub medium: *Necessitas ergo præcedens non cōpatitur arbitrij libertatem, & ideo ipsa non convenit humanis effectibus. Periculosè ergo* (ut mihi videtur) *quidam magni viri necessitatem istam præcedentem ponunt in humanis operibus, etiam & quod fluat à voluntate Dei; maximè cùm in antiquis Ecclesiæ PP. nihil consonans reperire possint.*

Joan. Bachonius 1. d. 40. a. 2. post med. dicit ea solummodo futura esse nobis libera, quę à Deo producuntur *voluntate permissivâ, & sunt in potestate nostrâ, quantùm ad determinationem, præsuppositâ tamen influentiâ in generali, & in essendo, & in causando.* Et postquam protulit testimonium ex Eccli. 15. *Reliquit eum in manu*, &c. subdit: *Imaginor sic, quòd Deo permittente me agere indifferenter hanc partem contradictionis, vel istam, non de-*

termi-

terminante me magis ad hunc, quàm ad illam, ego eligo alteram partem. Michaël à Bononiâ in 2. d. 25. q. unic. concl. 3. & seqq. dist. 27. q. unic. apud Ruiz disp. 49. sect. 5. n. 28. V. plures ex Ordinibus præcitatis apud Henao eventil. 43.

Lælius Bellionius Servita (apud Henao 2. edit. eventil. 17. n. 508.) in tract. de prædest. c. 8. sententiam tenentem, *quòd determinatio nostræ voluntatis tum in bono, tum in malo sit à* DEO, acerrimè impugnat hoc argumento: *voluntas non potest non determinari ad aliquid faciendum, cùm à* DEO *determinatur, & hæc instantia, meo judicio, maximam vim habet, & non video, quomodo, stante hac sententiâ, possit defendi libertas nostræ voluntatis; nam si* DEUS *me ad peccandum determinat, quomodo possum illi resistere, quin frustretur ejus voluntas.* Addit istam sententiam (quod cum Pet. à S. Joseph aliisque plurimis à veritate alienum censeo) esse S. Thomæ, & nihilominùs illam, quod maximè improbo, erroris temerè damnat. Unde meritò miratur Henao n. 514. PP. Dominicanos Bann. Aluar. & alios tanto impetu insurrexisse in Molinam Divi Th. observantissimum, relicto Bellonio, qui de eodem argumento ante ipsum scripsit, & quidem D. Angelicum erroris maculâ inverecundè aspergendo.

 §. IV.

tum, ita habet 4. d. 49. q. 6. §. Dico ergo, &c. quòd si admittatur scientia conditionalis, quam videtur Scotus varijs locis insinuare, salvari possunt decreta Dei, de omnibus actibus nostris illæsâ libertate. V. quod notavi 1. d. 39. Quòd verò causa secunda determinet causam primam ad hunc vel illum effectum docet Scot. expressè 2. Physic. q. 8. §. Quantum ad quartum. Eadem repetit in alio schol. apud Paul. Leonar. p. 2. n. 20. ubi ita concludit: *Vnde communiter Scotistæ talem prædefinitionem absolutam negant.*

39. Ex Ordine Carmelitano Waldensis l. 1. Doctrinalis fidei, c. 25. sub medium: *Necessitas ergo præcedens non cõpatitur arbitrij libertatem, & ideo ipsa non convenit humanis effectibus. Periculosè ergo* (ut mihi videtur) *quidam magni viri necessitatem istam præcedentem ponunt in humanis operibus, etiam & quod fluat à voluntate Dei; maximè cùm in antiquis Ecclesiæ PP. nihil consonans reperire possint.*

Joan. Bachonius 1. d. 40. a. 2. post med. dicit ea solummodo futura esse nobis libera, quę à Deo producuntur *voluntate permissivâ, & sunt in potestate nostrâ, quantùm ad determinationem, præsuppositâ tamen influentiâ in generali, & in essendo, & in causando.* Et postquam protulit testimonium ex Eccli. 15. *Reliquit eum in manu*, &c. subdit: *Imaginor sic, quòd Deo permittente me agere indifferenter hanc partem contradictionis, vel istam, non determi-*

terminante me magis ad hunc, quàm ad illam, ego eligo alteram partem. Michaël à Bononiâ in 2. d. 25.q.unic. concl. 3. &ſeqq. diſt. 27. q. unic. apud Ruiz diſp. 49. ſect. 5. n. 28. V. plures ex Ordinibus præcitatis apud Henao eventil. 43.

Lælius Bellionius Servita (apud Henao 2. edit. eventil. 17. n. 508.) in tract. de prædeſt. c. 8. ſententiam tenentem, *quòd determinatio noſtræ voluntatis tum in bono, tum in malo ſit à* Deo, acerrimè impugnat hoc argumento: *voluntas non poteſt non determinari ad aliquid faciendum, cùm à Deo determinatur, & hæc inſtantia, meo judicio, maximam vim habet, & non video, quomodo, ſtante hac ſententiâ, poſſit defendi libertas noſtræ voluntatis; nam ſi Deus me ad peccandum determinat, quomodo poſſum illi reſiſtere, quin fruſtretur ejus voluntas.* Addit iſtam ſententiam (quod cum Pet. à S. Joſeph aliiſque plurimis à veritate alienum cenſeo) eſſe S. Thomæ, & nihilominùs illam, quod maximè improbo, erroris temerè damnat. Unde meritò miratur Henao n. 514. PP. Dominicanos Bann. Aluar. & alios tanto impetu inſurrexiſſe in Molinam Divi Th. obſervantiſſimum, relicto Bellonio, qui de eodem argumento ante ipſum ſcripſit, & quidem D. Angelicum erroris maculâ inverecundè aſpergendo.

§. IV.

Authores post exortam Controversiam de auxilijs contra prædeterminationem physicam.

40. POst motam & magno partium studio agitatam de auxilijs Controversiam, plurimi, ijque illustres Viri Jesuitarum doctrinæ suffragati sunt. Supra 100. refert Henao 2. edit. scient. med. eventil. 44. & 45. locis accuratè citatis, è quibus paucos subijcio.

SÆCULARES.

E Statu Ecclesiastico sæculari, Molinę adhæsit S. Franc. Salesius ab eximiâ virtute & doctrinâ tanti æstimatus, ut (teste Joan. à S. Francisco generali Fuliensium in ejus vitâ l. 3. longè post med.) Paulus V. illum super controversiâ de auxilijs consuluerit, & ex ejus consilio controversiam ita terminaverit, ut Molinę doctrinam, æquè ac ejus adversariorum, ab omni censurâ liberam scholis permiserit. Illam autem doctrinam tenuit S. Salesius l. 2. de divino amore, c. 10. ubi docet è duobus

bus habentibus æquale auxilium quoad entitatem posse contingere, ut unus convertatur, alter non. Quod idem sentiens testatur Abelly Episc. Rhodiensis in medullâ Theologię, tr. 6. de gratiâ, c. 3. ubi suam doctrinam firmans authoritate Ruardi & Bellarmini, addit, §. *Respondetur 2. Quibus meritò adjungere possumus beatæ memoriæ Franc. Sales. l. 2. divini amoris, c. 10. ubi explicans judicium quod vocat comparationis, de quo in varijs Evangelij locis mentio fit, illud in eo faciendum esse dicit: quod aliqui æqualibus, imò majoribus gratiæ auxilijs præventi & excitati, divinæ nihilominus misericordiæ consensum negaverint: alij æqualibus, imò minoribus gratiæ auxilijs excitati, inspirationem secuti fuerint, & ad pœnitentiam conversi.* His conformia habet Salesius c. 11. §. 3. & precipuè 4. ubi exponens hoc dictum S. Francisci à S. Bonaventurâ relatum in ejus vitâ, c. 6. §. 2. *Latroni si tanta contulisset Altissimus, gratior te foret, Francisce,* Subjungit B. Sales. *optimè scio, sic de se locutum ex humilitate; sed habuit pro certâ atque infallibili veritate, quod unius gratiæ æqualis, impensæ à Deo cum æquali misericordiâ, potest unus peccator meliorem & utiliorem usuram facere quam alius.*

Denique hujus suæ mentis Jesuitarum sententiæ adhærescentis luculentum dedit testimonium ipse Salesius in epist. ad P. Lessium datâ an. 1618.

26. Aug. quâ, inter multa Patris memoriç perhonorifica, mirè commendat illius sententiam dç prædest. post prævisa merita, ex auxilijs utique minimè prædeterminativis secutura. *Cognovi*, inquit, *Paternitatem vestram sententiam illam, antiquitate, suavitate, ac Scripturarum nativâ authoritate nobilissimam de prædestinatione ad gloriam post prævisa opera, amplecti ac tueri; quod sanè mihi gratissimum fuit, qui nimirùm eam semper & divinę misericordiæ, & gratiæ magis consentaneam, veriorem, ac amabiliorem existimavi*, &c. integram hanc epistolam, cujus autographum asservatur Antuerpię in domo professâ Societ. JESU, impressam habes apud Henao n. 1081.

41. Petrus Binsfeldius Suffrag. Trevirens. l. receptarum in Theol. sent. sect. 3. de lib. arb. & grat. concl. 14. pag. 578. hęc habet: *Bannes acriter insurgit contra Taperum in a. 7. propos.* 10. *quod doceat contingere cum æquali auxilio Dei unum converti, alium non, quia hic voluit, alius non voluit. Quam doctrinam dicit esse Deo contrariam, & divinæ gratiæ derogatricem. Sed mirum est quomodo Bannes tam vehementer invexerit in Taperum, & non reprehenderit Dominicum Soto, qui idem, nisi me sensus fallat, docuit l. 1. de nat. & grat. c.* 14.

Ferd. Mascarennas Algabiorum Episc. tract. de auxilijs. Franc. Diotallenius Episc. S. Angeli in

in opuſculis Theologicis de concurſu Dei. Merinerus Epiſc. Valliſſolet. l. 2. phyſic. Lud. Creſpi Epiſc. Orioſenſis doctrinâ & ſanctitate clarus.

Iſaacus Habertus D. Sorbon. Epiſc. Wabrenſis in Theologiâ Græcorum PP. vindicatâ l. 2. de gratiæ efficaciâ, c. 16. §. 2. ubi prædeterminationem phyſicam reijcit, ut ab Auguſtini & S. Thomæ doctrinâ alienam. Et c. 17. §. 4. ſub finem ait: *E diametro pars altera* (ſcilicet prædeterminatoribus oppoſita) *quæ eſt longè numeroſior, Sorbonica præſertim Cathedra & Palæſtra, non aliâ graviori de causâ prædeterminationi phyſicæ bellum indicit, quàm metu admittendæ per ipſius veluti poſticum neceſſitatis.*

Quatuor hoc ſæculo celeberrimi DD. & Profeſſores Sorbonici Philip. Gamachæus 1. p. q. 19. c. 7. concl. 3. prob. 2. 1. 2. ad q. 111. c. 6. And. Duvallius tr. de grat. q. 6. a. 3. §. *Ad ultim.* pag. 425. & q. 7. a. 3. §. *Vnde*; pag. 433. tr. de humanis actionibus; q. 3. a. 7. §. *Præter has*, pag. 61. §. *Quod autem*, pag. 63. ubi defendit ſcientiam mediam, & refutat prædeterminationem phyſicam. Nicol. Yſambertus in tr. de grat. & 1. p. diſp. 8. ad q. 14. a. 1. 2. & 3. Franc. Hallier p. 1. analyſis Logicæ, n. 65. & ſeqq.

Quinque alij DD. Pariſienſes Car. Franc. Abra de Raconis Epiſc. Vaurenſis in Philoſophia, tr.

de

de principijs, q. 2. propoſ. 1. Ludov. Abelly 1. p. tr. 2. de Deo, c. 3. ſect. 4. §. *Dicendum.* Ludovic. Bail in Theologiâ affectivâ, p. 1. medit. 16. puncto 2. Gervaſ. Bijonius tr. de auxil. diſp. 5. q. 4. a. 6. tuetur ſcientiam mediam; & diſp. 3. q. 2 a. 5. ait: *Major & ſanior pars orthodoxorum cum S. Th. phyſicam illam voluntatis præmotionem ut fictitiam & improbabilem amolitur.* Cujus tamen cenſuram reijcio ut falſam. Anton. Cagnet tom. 1. an. paſtoralis, concione ad diem Dominic. Sexageſimę.

Duo Clariſſimi DD. ac Profeſſores Lovanienſes Joan. Malderus Epiſc. Antuerp. 1. 2. q. 111. a. 3. tr. de gra. dub. 10. memb. 3. & 4. Joan. Wiggers 1. p. q. 14. a. 13. & 1. 2. q. 111. a. 3. tr. de grat. dub. 10.

Illuſtriſſimus Gaſpar Nemius Doctor, ac Profeſſor Regius, Univerſitatis Duacenſis gloria, ex quâ ob eximiæ virtutis ac doctrinæ merita ad Infulas aſſumptus, primùm factus eſt Epiſc. Antuerp. tum Archiepiſcopus ac Princeps Cameracenſis: is autem tum in ſuis prælectionibus manuſcriptis ad q. 14. & 22. 1. p. D. Th. quæ ſervantur in Seminario Regio, cui præfuit, tum in Diſputationibus publicis contra eruditiſſimum Collegam ſuum Franc. Sylvium toto Orbe notiſſimum ſcientiam mediam ſtrenuè propugnavit.

Odoard. Weſtonus D. & Profeſſor Theolog. Duaci

Duaci in Colleg. Anglorum, l. 3. de triplici hominis officio, c. 9. 10. & 29. Claud. Dausquius S. Theol. Licentiatus, Canonic. Tornacensis, l. 2. de Sanctitudine S. Pauli, c. 6. ubi ait: *Prædeterminationes illas novellas satis superque extirpavit atque exterminavit Leon. Lessius Theologiæ Belgij alpha, lib. de grat. efficaci.*

42. Franc. Murcia Liana D. Complut. l. 2. Physic. disp. 4. de causâ efficiente, q. 3. Alexand. Pesantius D. Romanus 1. p. q. 14. a. 13. disp. 5. q. 23. a. 5. disp. 7. q. 111. a. 5, disp. 4.

Gundisalvus Sanchez de Lucero, Canonicus Granaten. discursu 7. de Conceptione B. Mariæ Virginis, c. 5. *Video multos non admittere scientiam mediam, sed sanè absque ratione; & negare eam scientiam, est nimia contentio; affirmareque non fundari in Scripturâ, doctrinaque PP. error est intolerabilis. Sic ille, sed non ego,* inquit Henao n. 1117. ejus censuram meritò improbans. Lud. Tena Episc. Dertus.

Joan. Alphons. Curiel controvers. 7. in c. 4. Sapientiæ, a. 4. n. 2. controv. 4. in c. 1. epist. 2. B. Petri, n. 208. & n. 234. item 1. 2. q. 79. a. 2. dub. unico §. 2. concl. 2. dicunt quidem adversarij Ledesma, Joan. à S. Th. & alij Curielem in quâdam lecturâ revocasse, quod in controversijs pro scient. med. contra prædeterminationem docuerat: verùm hoc esse frivolum fusè Probat Henao

nao 2. edit. eventil. 31. & efficaciter n. 718. ex eo quòd Curiel nullam unquam fecerit mentionem de retractatione, & paulò ante mortem labore omnium postremo suas controversias, in quibus nobis suffragatur, recognoverit, & nullâ factâ revocatione ad prelum aptaverit. Nicol. Vitihozzij in brevi dilucidatione controversiæ de auxil. an. 1607. editâ, & Cardinali Bellarmino dicatâ.

Cardinalis Perronius vir doctissimus, & in novarum heresum cognitione versatissimus, qui cùm inaudijsset quorumdam rumoribus sparsum gratiam prædeterminantem intrinsecè efficacem Apostolicâ definitione à Clem VIIJ. comprobandam, eidem Summo Antistiti magnâ constantiâ edixit, *Si, quod meditari ipsum dicebatur, definiret, curaturum se ut Germaniæ, Galliæque sectarij decreto illius subscriberent.* Ita refert Eugen. Philadelphus, hoc est, Franc. Annatus in exercitatione Scholasticâ tripartitâ, appendice ad Camerarium, §. *Ad extremum* in editione an. 1632. pag. 338. *Cujus rei*, inquit, *testem habeo presentem omni exceptione majorem Reverendissimum D. D. Habert Ecclesiæ Carducensis Episc. cujus in oculis* (hoc est, Carduci, cum ejus & trium aliorum Virorum doctrinâ & dignitate illustrium approbatione) *hæc eduntur, quique se id accepisse testatur ex ore ipsius Cardinalis Perronij.*

Oregius Urbani VIIJ. primùm Theologus, postea

postea Cardinalis, tr. 1. de Deo, c. 14. q. 3. ad 1. *Deus tum causis liberis ita vult concurrere, ut ipsæ liberè operentur, nec aliquâ antecedenti necessitate prædeterminentur ad operandum.* Levinus Torrentius Antuerp. Episc. qui Lessij doctrinam contra illius censores fortissimè defendit, in imagine 1. sæculi, l. 6. c. 4.

REGULARES.

43. Sæcularibus jam cit. in repudiandá prædeterminatione physicâ consentiunt plurimi, ijq; doctissimi Regulares, qui post cœptam de auxilijs controversiam scripserunt; quos recenset Henao n. 1124. & seqq.

E Benedictinis M. Anton: Perez Generalis Benedictinæ Congregationis Hispanicæ, ac postmodum Archiepisc. Tarraconensis, in authenticâ fide Joannis Catholicis controversijs agitatâ, c. 36. ex ejusdem Joan. 6. v. 43. n. 27. 29. & 34. *In malis & prohibitis scientiam mediam omnino necessariam judico, propter improbitatem operis, quod (nisi me mea fallit opinio) repugnat habere pro causâ etiam materialitatis suæ decretum absolutum, efficax, & antecedens Dei,*

M. Hieronym. Marton Abbas Hispalensis in litteris ad Procuratorem Generalem suæ Congre-

gatio-

gationis, Romæ commorantem datis an. 1601. quibus ipsum hortatur ad Molinę doctrinam, quæ tunc Romæ agitabatur, pro virili tuendam 1. *Quia*, inquit, *traditur à D. Anselmo, & nostris omnibus Magistris. 2. Quia apud nos receptum est hanc fluxisse doctrinam à primitivis Scholis nostræ Religionis, quos ob titulos, hæc causa nobis æquè propria est ac PP. Societatis, nec poterimus declinare famæ jacturam, si vel imus ejus minimus apex censurâ Romani Pontificis notetur*, ita refert Paul. Leonard. p. 1. n. 45.

44. E Cisterciensibus Petrus Lorca 3. p. disp. 10. memb. 2. n. 26. & 27. ubi productis S. Th. verbis 3. p. q. 1. a. 3. ad 4. 1. p. q. 23. a. 7. O. *Ex quibus S. Th. verbis constat*, inquit, *præscientiam illam, quam dicit supponi ad prædestinationem, non esse scientiam simplicis intelligentiæ, nec scientiam visionis, sed scientiam, quam vocant mediam, quę est de futuris contingentibus conditionatis, quæ ex hoc loco S. Th. manifestè adstruitur.* Plura Henao n. 750.

M. Angel. Manriquez Professor Salmanticensis, & Antistes Pacis Augustę, apud Henao n. 108. Petrus à S. Joseph Fulien. in suavi concord. in defensione S. Th. & in Idæâ Theologiæ. Eustachius à S. Paulo Fulien. 2. p. summę Philos. 2. p. Ethicę tr. 2. disp. 1. q. 3. & tr. 1. de Deo, q. 5.

45.

45. Ex Auguſtinianis Alphonſus Mendoza q. 7. quodlib. p. 3. concl. 5. n. 13. pag. 56. & 58. in 2. edit. facta an. 1596. Baſilius Poncius in relectione de neceſſitate gratiæ, p. 1. c. 10. n. 6. & 7. pag. 237. & 238. item n. 8. pag. 239. & 240. & c. 11. n. 2. pag. 241. ubi prædeterminationem non ſolùm phyſicam, ſed & moralem ad entitatem actûs mali reijcit ut S. Auguſtino contrariam. V. Henao in 2. edit. n. 732. & ſeqq. ubi oſtendit falſum eſſe quod jactant adverſarij Baſilium noſtram ſententiam quam in ſuis prælectionibus tenuerat, retractaſſe ſub finem vitæ. Cæterùm, ut rectè advertit Manriquez apud Henao, quòd noſtram ſententiam tenuerit, conſtat ex ejus ſcriptis in lucem datis, quod revocaverit, ſolùm incertus & meritò ſuſpectus adverſariorum rumor ſpargit.

Martinus Albiz 1. p. tr. 1. de ſcient. Dei, diſp. 7. per 6. ſectiones. Joannes Puteanus 1. 2. q. 111. a. 1. 2. & 3. dub. 4. concl. ult. quæ ſic habet: *Gratia præveniens efficax, quæ de communi lege datur ijs omnibus, qui de facto convertuntur, non determinat phyſicè libertatem, ſed tantùm moraliter.*

Fulgent. Schautheet l. 2. controverſiarum Philoſophicarum, controv. 17. a. 1. ratione 10. confirm. 6. ubi ait: *Difficillimè poteſt aſſignari diſcrimen inter errorem aſſerentem Deum impellere hominum*

num voluntates ad malum, & ſententiam docentem Deum prædeterminare ad materiale peccati.

Gabr. Pennotus Abbas ex Ord. Canonicorum S. Aug. in propugnaculo humanæ libertatis Romæ edito an. 1624. ex facultate acceptâ à Gregorio XV. & ratificatâ ab ejus Succeſſore Urbano VIIJ. toto autem illo opere prædeterminationem phyſicam oppugnat, ut D. Th. contrariam, & Societatis ſententiam propugnat ut ipſiſſimam Aug. D. Th. & Trid. doctrinam; ac præcipuè l. 3. c. 28. & 29.

46. E Franciſcanis Joan. Poncius in curſu Philoſophico diſp. 9. Phyſicæ, q. 6. & 1. ſent. diſt. 41. q. unic. n. 22. & 3. diſt. 12. q. unic. n. 55. multis refellit prędeterminationem phyſicam. Philip. Faber, Hugo Cavellus locis ſup. n. 38. citatis. Fr. Meuriſſe Doctor Pariſienſis tom. 2. Metaphyſ. c. 3. p. 5. q. 3. Franciſcus Delcaſtillo tom. 1. in 3. ſent. diſp. 14. q. 1. p. 2. n. 33. Joan. Strienus Mildeburgenſ. Epiſc. qui teſte Stapletono in imagine 1. ſęculi, l. 6. c. 4. §. *Adverſantium. piè, doctè, ac ſtrenuè cauſam PP. Societatis egit contra importunam Facultatis Lovanienſis cenſuram.*

Ludovicus Caſpen. Definitor Capucinorum tr. de ſcient. Dei, diſp. 6. per 6. ſectiones. Ludovicus à Dolâ eorumdem Provincialis, de concurſu

ſu Dei & creaturę, p. 1. c. 3. & ſeqq. p. 3. c. 2. & ſeqq.

47. Denique omnes Scotiſtę, nullo (quem ſciam, aut ſciant Doctiſſimi Scotiſtę à me conſulti) excepto, phyſicam Thomiſtarum prædeterminationem averſantur: licet enim admittant Dei decretum actus voluntatis creatæ liberos ab æterno determinans ad eſſe futurum; nullo modo tamen cum Thomiſtis conveniunt, eorumve prædeterminationem fulciunt: quia decretum, quod ponunt, docent non eſſe naturâ priùs determinatione noſtræ voluntatis, ſed ita concomitans & ſimul naturâ, ut ſit in noſtrâ poteſtate; quod maximè repugnat Thomiſtis volentibus ſuum decretum phyſicè prædeterminans eſſe priùs naturâ omni determinatione noſtræ voluntatis, adeoque nullo modo in ejus poteſtate, cujuſmodi decretum, cum phyſicâ prædeterminatione intrinſecâ ei reſpondente, æquè ac nos tanquam libertatis deſtructivum paſſim reijciunt Scotiſtæ. Pro quo V. Smiſing. de Deo, tr. 3. diſp. 2. q. 4. n. 129. ubi dicit: *determinationem divinę voluntatis neque ſecundùm rationem eſſe priorem aut poſteriorem naturâ, determinatione propriâ creatæ voluntatis, ſed utramque determinationem eſſe ſimul naturâ, re, & ratione.* Et infra, *contra quem modum non procedit ratio n.* 73. *objecta* (nempe de everſione libertatis creatæ)

 quia

quia determinatio divinæ voluntatis est in potestate arbitrij creati, quatenus actus liber (ad quem se in tempore omnino concomitanter determinat, & à quo terminativè sumitur ratio divini decreti) est in potestate arbitrij creati. Similia habet Angelus à Monte piloso in Summâ Theol. tom. 2. p. 1. disp. 39. a.8. 9. 10. & 12.

48. E Carmelitanis R.P. Henricus Sylvius & Joan. Anton. Bobius, de quibus Franciscus Bonæ Spei to. 1. curs. Theolog. tr. 1. disp. 11. n. 8. sic loquitur: *Scientiam mediam esse ad Scripturæ locutiones explicandas necessariam è nostris arbitrati sunt PP. Henric. Sylvius, Ordinis nostri tunc Vicarius Generalis, postea Generalis, & Ioan. Ant. Bobius Collegij nostri Romani Regens, ambo præstantissimi Theologi, dum an. 1598. & seqq. suo, & suorum nomine, tam in publicis, quàm in privatis congregationibus adversùs P. Molinam Romæ habitis, censuræ contra eundem attentatæ sese constantissimè opposuerunt in favorem futurorum contingentium conditionatorum infallibilis Dei scientiæ, & gratiæ rigorosè prædeterminantis eversionem.* Ipse autem Francisc. Bonæ Spei, quamvis Molinç non adhæreat, tamen 1. p. Physic. tr. 2. disp. 7. dub. 4. resol. 1. n. 59. dicit: *Deus non prædeterminat causas secundas ad agendum per præviam qualitatem illis impressam.* Et n. 65. physicā Thomistarum prædeterminationem reijcit

in

ut superfluam, & evidenter contrariã D. Thomæ pluribus locis, & nominatim 1. 2. q. 10. a. 4. & tom. 1. cursûs Theolog. tr. 1. disp. 14. n. 5. tom. 2. tr. 2. disp. 3. n. 132. tr. 3. disp. 13. n. 15. docet repugnare libertati: denique tom. 1. tr. 1. disp. 16. n. 21. ait: *Opera mala sive quoad materiale tantùm, sive quoad formale tantùm, sive quoad utrumque simul, neque Deus prædefinivit, neque prædefinire potest.*

Christoph. Sylvestranus lect. 97. super 1. sent. respons. ad 1. & lect. 100. & 102. per totam, sed præcipuè respons. ad 3. Daniel à S. Joseph tom. 1. in Summam Theol. S. Th. disp. 24. ubi per 8. capita adstruit ex Scripturâ, PP. & S. Th. scientiam mediam. Joan. Bapt. Lezana negans Deum prædeterminare ad materiale peccati apud Henao in 2. edit. n. 794.

49. E Trinitarijs M. Marc. Anton. Alos & Orraca p. 1. select. dispp. in 2. c. 5. §. 7. n. 221. & 222. & clariùs in lect. de scient. Dei, disp. 5. sect. 5. n. 374. Baltaz. Paez in Cantic. Moysis, textu 29. annot. 5. pag. 361. Josephus Romerus secundo Provincialis, modernus primariæ in Academiâ Salmanticensi cathedrę moderator in prælectione doctissimâ pro petitione supremæ istius Universitatis Cathedrę palàm pronunciavit (inquit Henao eventil. 45. n. 1223. hoc ipsum Salmanticæ in ejus oculis imprimens) *se nunquam*

potuisse intelligere sensûs divisi & compositi distinctionem, pro libertate cum prędeterminationibus physicis concilianda, adhiberi solitam.

Ex Minimis Joan. Durellus in Dialecticotheâ, l. 2. c. 8. Claud. Rangolius in l. 1. Reg. c. 13. v. 14. §. *Quomodo intelligendum*, §. *His ita*, & §. *Ex his.* Alios præfatorum, & aliorum Ordinum Viros doctrinâ illustres à Molinâ stantes Vide apud Henao in 2. edit. eventil. 44. n. 1124. & seqq. Atque ex his patet quantùm distet à vero quod jactant Joan. à S. Th. disp. 20. a. 6. §. *Præter hos*, & ab eo citati Salmanticenses Discalceati, alijque adversarij, paucos admodum præter Jesuitas in reijciendâ prædeterminatione physicâ Molinæ principijs adhærere.

§. V.

Doctores Dominicani physicis prædeterminationibus contrarij.

50. EPP. etiam Dominicanis non pauci Jesuitarum doctrinæ (quod non exiguum illi addit authoritatis firmamentum) apertè suffragantur

Al-

Albert. Mag. 1.p. summæ, q.61.memb.8.in med. *Duplex est necessitas: absoluta scilicet, quam vocat Anselmus antecedentem, quæ est ex causis proximis ad effectum ordinatis: & est necessitas consequens rei positionem, sicut sedentem sedere dum sedet. Quod subjacet necessitati primæ, nullo modo concordat cum libero arbitrio: quod secundæ, nihil prohibet concordare cum libero arbitrio.* Atqui necessitas orta ex prædeterminatione physicâ non sequitur rei positionem, sed causas proximas completè ad effectum ordinatas. Ergo &c. Et q. 67. memb. 3. *Duplex est providentia, scilicit prædeterminans, & præstituens causas essentiales, & proximas eorum quæ fiunt; sicut est providentia necessariorum, in quibus nihil fit contingenter: & est providentia quam vocat Damascenus secundùm concessionem, hoc est, quando inevitabilis nexus providentiæ necessitatem inevitabilitatis non imponit causis proximis.*

Udalric. Argentorensis: *in obduratione sunt duo, aliud est actus voluntatis pertinaciter inhærentis malitiæ, & hujus Deus non est causa per se, neque per accidens, neque occasio, sed voluntas deficiens.*

Durandus in 1. dist.47.q. 1.n.6. *Deus non vult mala culpæ fieri; quia iam esset author malorum. Nec vult non fieri; quia nullo modo fierent. Et ideo nullo modo talia fiunt secundùm voluntatem divinam.* Et infra n. 9. *Ratio naturalis non habet, nec fides cogit*

ad hoc, quin respectu bonorum purè moralium, & malorum oppositorum voluntas divina possit se habere per indifferentiam, ut non sit plus de uno, quàm de alio. Et infra: *Et de malis quidem omnes concordant.* Item in 2. dist. 24. q. 2. n. 22. *Liberum arbitrium est potestas applicandi vel non applicandi ea quæ agunt intellectionem & volitionem.*

S. Antonin. 1. p. tit. 4. c. 2. §. 3. ubi docet decretum divinum non posse esse causam omnium actuum humanorum: *quia plures actus humani sunt mali; quæ autem sunt à Deo immediatè, non possunt esse nisi bona.* Quibus similia, imò & fortiora habet Melchior Canus contra prædeterminationem ad materiale peccati, de locis l. 2. c. 4. ad 7. *actionum ejusmodi nec passionum ullo modo author est Deus.*

51. Caiet. 1. p. q. 19. a. 8. §. *Ad 1. rationem Scoti*, cui sic respondet: *Dupliciter contingit causam secundam moveri à primâ: uno modo motione præviâ propriæ actioni, sicut baculus movet lapidem motus à manu: alio modo motione cooperativâ intrinsecè propriæ actioni.* Et infra: *Non oportet cùm aliquis vult aliquid, seu cùm Sol illuminat, primam causam præviâ motione cooperari; sed sufficit, & exigitur, eam intrinsecè cooperari tali actioni, vel illuminationi.* 1. 2. q. 9. a. 6. in resp. ad 3. *habetur quòd Deus non solùm potentiam voluntatis dat, sed & actum volendi clausum in omni actu volendi, ipsam scilicet volitionem*

nem boni. In omni enim volitione hæc volitio clauditur, ut principium in conclusione. Et propterea in litterâ dicitur, quod ex hâc volitione voluntas per rationem determinat se ad hoc vel illud bonum verè vel apparenter, & sine illâ præsuppositâ volitione nihil omninò velle potest. Et hæc volitio est illa ad quam dictum est voluntatem debere moveri ab alio, etiam quoad exercitium actûs: secundùm hanc enim fertur actu in finem. Quibus similia habet 1. p. q. 41. a. 2. & 1. 2. q. 9. a. 4. V. sup. n. 27. alia loca quibus, fatente ipsomet Ban. fauet Molinæ, uti 1. p. q. 57. a. 3. §. *Adverte*, ubi ait, *futurum contingens in suâ causâ ut sic est penitus ignotum.* Caietano consentit Didac. Deza Archiepisc. Hispal. in 2. dist. 28. a. 3. notab. 6. ubi (inquit Ruiz disp. 49. sect. 6. n. 20.) docet voluntatem nostram Dei motione determinante solùm indigere ad primum actum, quo supposito seipsam liberè movet ad alios, & post med. ejusdem notab. relatis verbis S. Th. de verit. q. 24. a. 15. O. ipse subjungit: *non dicit S. Th. quod impossibile est hominem aliquid velle, nisi aliquo ipsum movente; sed dicit, quod impossibile est hominem incipere aliquid velle de novo, nisi &c.*

Ferrariensis in caput 89. tertij cont. Gent. n. 6. ubi ad explicanda hæc verba, quæ ibi habet S. Th. *est igitur Deus primum principium nostrorum consiliorum & voluntatum:* non recurrit ad præde-

terminationem physicam, sicut illius assertores, & recurrere debuisset, si illam agnovisset; sed ad actus naturales, indeliberatos, qui sunt à Deo authore naturæ, *tanquam ab agente principali proximo, ab intellectu autem & voluntate tanquam à formâ, quâ producuntur: sicut motus deorsum est à gravitate tanquam à formâ quâ generans movet gravia*, ut causa principalis. Unde infra dicit: *iste modus* (scilicet movendi jam explicatus) *conveniens est naturæ intelligibili, secundum quem ejus operationes tandem habent reduci ad aliquos primos actus, qui sunt in Deum tanquam in principalem causam referendi*. Quo etiam sensu S. Thomã intelligit Molina, cui alibi sæpius evidenter favet Ferrariensis, ut in c. 67. primi cont. Gent. §. *Adverte ut*, ubi docet futurum contingens non posse certò cognosci in suis causis tantùm; quod falsum esset, si essent prædeterminatæ. *Si enim* (inquit) *Antichristum cognosceret tantùm ut est in suis causis, & non cognosceret ipsum ut præsentem in seipso, non cognosceret per certitudinem istam propositionem, Antichristus erit.*

52. Capreolus in 2. d. 24. q. 1. a. 3. colum. 21. ad 6. *Dicendum, quod voluntas, quantùm est de naturâ suâ, est ad opposita, ipsâ tamen ratione suæ libertatis determinat se ad id quod vult, & ita non indiget alio determinante*, & d. 25. a. 3. colum. 3. ad 4. docet quod actus voluntatis *producitur à cau-*

causâ indeterminatâ, quæ tamen potest seipsam determinare. Quibus & alijs ejusmodi in istis dist. evidenter tradit Molinæ doctrinam, quam clarè explicat dist. 24. a. 3. colum. 16. ad 1. ubi ex Greg. declarat voluntatem posse simul esse in actu primo, & in potentiâ ad actum secundum. Item in 2. dist. 3. q. 1. a. 13. ad 2. Aureoli, ubi refert & approbat hanc Greg. doctrinam: *Non ideò Deus novit sic futura, quia novit se sic velle.* Et infra: *Imò, si per impossibile Deus non esset volens, esset autem intelligens, sicut est, & futura essent futura, adhuc Deus propter excellentiam suæ intelligentiæ nosset quæcumque futura.*

Conrard. 1. 2. q. 10. a. 4. vers. *Nota* 2. cum Caiet. sup. ad mentem Molinæ, nullo modo ad mentem prædeterminantium, explicat quomodo Deus moveat voluntatem, his verbis: *Dicendum est, quòd Deus voluntatem hominis dupliciter movet, uno modo motione speciali præveniente volitionem ipsius voluntatis, sicut cùm movet aliquos ad gratiam; alio modo movet voluntatem motione generali cooperativâ ipsi voluntati, cum quâ voluntas activè concurrit ad actum suum; & hæc motio est necessaria in omni actu voluntatis.* De quâ motione ibidem q. 9. a. 3, vers. *Ad argum. contrar.* hæc addit: *In potestate solius voluntatis, stante generali influentiâ, est se movere ad exercitium, vel non movere.* Et q.

79. a. 1. dicit *causam primam non habere motionem prævians actioni creaturæ voluntatis peccantis.* Et infra: *Iuxta S. Thomam Deum primò concurrere ad actum peccati; quia videlicet voluntas non agit nisi in virtute Dei, quæ tamen solùm habet motionem cooperativam, & prius attingit cooperando, quia intimiùs attingit.* Quæ omnia repugnant prędeterminationi physicæ.

Paul. Soncinnas l. 9. Metaph. q. 19. ubi ad libertatem requirit potentiam, priùs naturâ quàm operetur, ita indifferentem, ut *nihil sit in voluntate, cùm elicit velle, quod sit necessariò determinatum ad velle; alioqui ipsum velle non esset contingenter à voluntate, sed necessariò.* Et l. 12. q. 19. fin. ad 3. *Potentia libera ab aliquo determinatur; sed non oportet hujus determinans esse aliud ab ipsâ potentiâ.*

53. Robertus Holkot l. 1. q. 3. a. 2. fin. *Libertas est potestas quædam, quâ voluntas, concurrentibus omnibus causis requisitis ad suum effectum, habet quod possit cum eis coagere, & ponere actum suum in effectum: vel non ponere: sicut ei placuerit.* Ubi per ly *coagere cum omnibus requisitis*, manifestè indicat sensum compositum. a. 8. ad 3. dubij 5. *Voluntas tamen de novo nullam rem recipit, quæ coagat ad causandam volitionem, quam priùs non habebat.* Et l. 2. q. 1. a. 4. ait Deum non velle *absolutè & ex electione coagere cum naturâ rationali liberâ, sed ex condi-*

ditione, vel ex quâdam conventione, quâ statuit, quod quidquid ipsa velit, placet sibi coagere ad istam volitionem: ut si vult Sortes peccare, &c. Quæ & similia non stant cum prædeterminatione.

Raynerus in suâ Pantheologia, verbo *Præscientia*, c. 15. *Effectus contingens non habet necessariam determinationem ex suâ causâ, sed ex suâ præsentiâ.* Et verbo *Peccatum*, c. 49. *Hujus quod est liberè agere, vel non agere, uti regulâ vel non uti, non oportet aliam causam quærere; quia ad hoc sufficit ipsa libertas voluntatis, per quam potest agere & non agere, uti regulâ vel non uti.* Ibidem cum Aug. l. 12. de civit. c. 6. reddens rationem cur è duobus ęqualiter tentatis, unus subinde peccet, alter non, sic habet: *quæ igitur causa? non est nisi quia placet; placiti autem nulla est ratio quærenda: sicut enim in bonis, cùm perventum est ad voluntatem Dei, nulla est ratio; ita in malis, cùm perventum est ad voluntatem pervertibilem, nulla est alia quærenda ratio, nisi quia vult, vel placet.* Quibus apertè excludit prædeterminationem physicam, ejusque decretum.

54. Dominicus Sotus l. 1. de nat. & grat. c. 15. *vt enim ex infantibus hic salutem consequitur, quia renatus est ex aquâ, & Spiritu Sancto, ille verò nequaquam, propterea quòd absque baptismo vitâ decessit, ita in adultis reddenda est proxima causa, cur cum duos æquè sit Deus paratissimus convertere, præsen-*

sentissimâque vtrumque misericordiâ aspiret; hunc trahat, illum non trahat; quæ revera reddi non potest, nisi quòd alter præbet assensum & cooperatur, alter verò minimè; vt enim paruulum per baptismum sine suo consensu, ita adultum per suam cooperationem prædestinavit convertere. Sed rationem, cur majori hunc gratiâ quam illum perfundat, nullam certè aliam effingere poteris, quàm quòd vnus majori se, quam alter, conatu & impetu amoris converterit. Cum autem quidam taxare voluissent verba illa, *quæ revera reddi non potest &c.* dicentes *quod ijs nimiùm tribueretur liberò arbitrio* respondit Sotus in suorum operum recognitione, ad calcem commentariorum in 4. sent. *ego tamen salvâ semper Catholicæ Ecclesiæ censurâ arbitror necessariò sic dicendum.* Ex quibus Patet Sotum constantem fuisse in doctrinâ à se traditâ Molinę, ut manifestum est, non parum favente contra prędeterminationem physicam, quâ admissâ alia posset, & deberet reddi ratio, nempe illa quam extorquere nituntur prędeterminatores per illud Pauli 1. Cor. 4. 7. *Quis te discernit.* Et inf. pergit Sotus: *Quin etiam sunt inter Catholicos, quos vivâ voce dogma hoc asserentes, nobisque reclamantibus defensantes audivimus; puta, quod Deus quâdam nos vi ac necessitate ad se pertrahat; ita ut in nostrâ nos conversione merè habeamus nos passivè & receptivè. De quo idcircò S. Synodus sess. 6. &c.*

55. Ex quibus infert Annatus disp. 4. c. 4. §. 2. n. 101. improbatam fuisse à Tridentino etiam *quorumdam Catholicorum* doctrinam. *Quorum verò?* inquit, *nempe eorũ quos Domin. Soto audire solitus erat in scholis: & contra quos habebat jus reclamandi. Quod autem dicerent nos trahi vi quâdam, minimè intelligebant coactionem propriè dictam, quam sciebant implicare contradictionem: sicuti nec, dum dicebant habere nos passivè ac receptivè: actionem excludebant aliam, quàm, quæ à libero atque expedito dominio proficiscitur.* tum subdit; *nimirum iidem erant sine dubio, quorum meminit idem Soto c. 16.* cùm dicit: *Sunt ergo inter Scholasticos qui docent posito concursu Dei non esse utrumque in potestate voluntatis, agere & non agere. Ob idque secundò aiunt hujusmodi concursum non connumerari inter requisita ad agendum: imò dicunt, ut suâ utamur voce, concomitari actionem ipsam. Horum autem duorum, vel utrumque nunquam intellexi; vel neutrum unquam credam.*

56. Verum quidem est quod ibidem utatur Sotus distinctione sensûs divisi & compositi; non tamen ad conciliandam cum libertate necessitatem antecedentem, sed consequentem voluntatis nostræ determinationem, ejusque potestati subjectam. Quod colligitur ex his ejus verbis: *dum liberè moveor, possum in sensu diviso non agere, &*

tunc

tunc cessabit concursus Dei. Quibus significat concursum Dei ita nostræ voluntati subesse, ut pro libitu possit facere ut cesset, sicut potest cessare à motu sibi libero. Et verbis sequentibus indicat necessitatem actûs voluntatis ex Dei concursu ortam aliam non esse ab eâ, quam describit Aristoteles, dum ait: *Quod est quando est, necesse est esse.* Quæ concursui physicè prædeterminativo non quadrant.

Insuper alia nobis valdè faventia habet Sotus 3. Physic. q. 1. a. 2. concl. 5. propos. 5. *In agente nihil aliud est quam agens ipsum & virtus agendi. Hanc conclusionem addiderim propter aliquos Thomistas, qui putant in igne, v. g. quando calefacit, præter formam substantialem & calorem, qui est virtus calefaciendi, esse adhuc nescio quam entitatem absolutam, quæ est productio activa caloris, & fundamentum relationis agentis.* Et paulò post: *Existimo certè nihil esse prorsùs in igne præter formam & calorem quo calefacit. 1. quia Arist. hìc expressè docet quod actio non sit in agente, sed in passo. Neque aliam prorsùs actionem ponit, à quâ agens denominetur, præter motum, qui est in passo ab agente. Et quando Arist. & S. Th. contrarium dicerent, persuadere mihi certè non possent, quod quando ignis calefacit aquam, aliqua entitas producitur in igne; nam cùm ignis nihil prorsùs producat, quam calorem in aëre contiguo circumstante,*

non

non video unde produceretur talis entitas in igne. Non ignoro Thomistas plerosque perscrutari authoritates S. Th. quibus entitates istas multiplicent, nihil aliud profectò facientes, quam gravissimum Philosophum obscurum atque adeò invisum reddere. Ego tamen certus sum S. Th. non multiplicasse hujusmodi relationes aut entitates ad sensum illorum; & quando contrarium in illo reperirem, aut exponerem, aut nihil crederem ejus authoritati obviari, si in rebus his minimis communem potiùs modum concipiendi amplecterer. Quibus excludit ab agente, dum agit, non solùm actionem aut relationem realiter distinctam, sed omnem prorsùs entitatem ejus substantiæ, & virtuti activæ superadditam, adeoque etiam prædeterminationem physicam sive re, sive solâ ratione ab ejus actione distinctam.

57. Joannes Vincentius, de quo & alijs quibusdam innominatis Basilius Legionensis 1. p. variar. disput. q. 9. expositiva, c. 3. fin. pag. 399. sic loquitur: *Licet nonnulli ex familiâ S. Dominici obstinatè prædeterminationem illam voluntatis ex physicâ Dei motione aut qualitate provenientem, quæ ita ad unam partem determinaret ante consensum voluntatis, ut deinceps non esset electionis humanæ illi positæ motioni Dei, aut obtemperare, aut refragari docuerint: excitavit tamen Deus olim doctissimum Virum Ioan. Vincentium ex eâdem Familiâ, qui eam di-*

 cendi

cendi rationem validissimè impugnavit, & morales tantùm prædeterminationes per excitationes, quę sunt actus intellectûs & voluntatis, induxit, legit, dictavit in Salmantino Theologorum gymnasio, me & spectante, & audiente: & postea alij ex eâdem Familiâ ab illâ propositione cum laude, & fructu discesserunt. Ita referunt Borrull de scient. med. disp. 5. sect. 1. n. 328. Henao in 2. edit. eventil. 7. n. 177.

Basilius Verdu in relectione de auxilijs, pag. 54. concl. 12. ubi ait: *Probabilius tamen dicitur aliquod opus morale bonum ordinis naturalis fieri posse sine physicâ prędeterminatione, sed satis erit simultaneus concursus. Hanc doctrinam videtur indicare Paulus Rom. 6. ut optimè sapientissimus Mag. Raymundus Pasqualius filius nostri Conventûs. Idem habet S. Th. &c.* Ibidem fatetur neque ex subordinatione causæ secundæ ad primam, neque ex ratione causæ liberę, seu indifferentis colligi necessitatem prædeterminationis. V. Suar. loco cit. inf. n. 59.

58. Th. Campanella l. de prædest. & reprob. prędeterminationes physicas acriter impugnat, ut doctrinæ S. Thomę repugnantes, & Calvinistarum errori non parum faventes, & a. 1. dicit (teste Annato de scient. med. disp. 4. c. 4. §. 2. n. 104.) *Se ad hanc scriptionem inductum esse hortatu Vrbani VIII. Comitis de Brassac Oratoris Regis Christianissimi, Cardinalis Scallia, & rogatu plurimorum Domi-*

Dominicanorum, nempe P. Aug. Russus, P. Forest, M. Seraphini Rivaldi, & præcipuè P. Cosmæ Morelli, qui, inquit, diu fuit Inquisitor hæreticæ pravitatis Coloniæ Agripp. dicitque se non potuisse absque hac doctrinâ Calvinistis respondere. Et quamvis, inquit Annat. sup. *Campanellæ authoritas minor sit quàm ut constituere possit locum Theologicum, ubi tamen non tam attenditur judicium quàm fides: nec quid ille ratiocinetur, sed quid narret; nescio an sit alicujus prudentiæ ita reijcere illius testimonium, ut dicere non verearis esse mentitum. Et crescit narrationis authoritas ex approbatione Sociorum Thomistarum. Librum enim illum F. Iulian. Joubert Vicarius Generalis Congregationis Gallicanæ, non tantùm commendat ipse, sed visum etiam refert commendatione dignum Sorbonicis DD. Accedit quoque suffragium F. Antonij Mallet ejusdem Ordinis, qui studiosorum omnium manibus teri cupit, lucubrationem hanc plurimùm profuturam doctrinæ fidei & morum. Parisijs in Colleg. S. Iacobi 21. Iul. an. 1635.* Hactenus Annatus, ex quo idem refert Galtruchius instit. Physicæ disp. 4. c. 4. fin.

59. Franc. Suarez Junior de animâ tr. 6. de voluntate disp. 2. sec. 4. §. 2. n. 239. pag. 318. ait. *E Dominicanis Molinæ principijs subscripsere Franc. Romæus Mag. generalis Prędicatorum l. de necessitate & libertate operum, Matheus Gory in libello de quinque verbis Pauli contra hæreses edito an. 1554. verbo tertio*

pag. 52. Vincentius Iabatæus Luciensis opusculo de lib. arbit. & gra. pag. 63. vbi disertè asserit Deum non determinare nos ad agendum ea, quæ liberè agimus. Thomas Elysius l. de lib. arb. q. 3. a. 8. Blasius verdu, Gonzal. de Albelda 1. p. q. 19. d. 44. sect. 3. n. 35. d. 58. sect. 1. 2. 3. & d. 59. sect. 1. n. 5. & sect. 2. n. 4. 14. Ant. de Viesma Episco. Petrensis. Lauren. Gutieres, & alij apud Ovied. in physicâ controvers. 10. p. 3. §. 1.

60. Addit Borrull. de scien med. disp. 5. sect. 1. n. 328. *M. Mantium Primarium Salmanticensem, &* ait *Thomam Lemos (qui pro Dominicanis contra Iesuitas coram Pontifice disputauit) Romæ in suis prelectionibus publicis docuisse physicas predeterminationes esse contra S Th. quod*, inquit, *ita certum est, vt Caramuel in suâ Theologiâ fundamentali editâ Francofurti an. 1652. pag. 18. Not. 1. provocet Thomistas, vt sibi probent Patrem Lemos id Romæ non docuisse.* Narrat ibid. Caramu. fundamento 1. pag. 8. se Salmanticæ defendisse *prædeterminationes physicas suaves*, id est *cum quibus voluntas possit non agere etiam in sensu composito, licet sit infallibiliter actura.* Dein subiungit: *has etiam ipsas vidi ab aliquibus PP. Dominicanis defendi; à paucis tamen: sed inter paucos pro multis mihi sit P. Consul, qui hic Pragæ ante duos annos erat Regens.*

61. PP. Dominicani an. 1606. 12 Aug. propugnarunt Auenione coram R. P. Provinciali, inqui-

inquiſitore fidei, & totius Provinciæ capitulo Theſes, quibus prædeterminationes phyſicæ vniverſim negabantur, ut teſtatur (qui diſputationi interfuit, P. Theophil. Raynaudus in hoplothecâ adverſus ictum calumniæ ſect. 2. ſerie 2. c. 9. pag. 277. vbi profert ſeptimam eorum theſim his verbis expreſſam: *Efficacis gratiæ natura talis nobis videtur eſſe, ut neque phyſicè, neque moraliter voluntatem humanam prædeterminet ad volendum, & ad eligendum bonum, quod ſibi ope gratiæ inſpiratur. hac enim ratione ſublatus creditur omnis omninò liberi arbitrij uſus.* Idem referunt Eugenius Philadelphus, id eſt, Annatus in exercitatione tripartitâ ſcholaſtica c. 3. §. 5. Henao in 2. edit. euentil. 7. n. 180.

62. Præterea Dominicani non pauci, quamvis admittant Deum prędeterminare ad actus bonos & indifferentes; prædeterminationem tamen ad actum materialem peccati acriter reijciunt, atque ita euertunt generalia ac prępipua prædeterminationis phyſicæ fundamenta ſita in indifferentiâ cauſę ſecundæ eiuſque ſubordinatione ad primam, ac eſſentiali dependentiâ ab huius motione & applicatione ad agendum. Hoc teſtatur Leonardi p. 2. n. 13. pag. 104. his verbis: *E Dominicanis prædeterminationem phyſicam ad actum peccati reijciunt. Ioan. Vincentius apud Ledeſm. tr. de auxil. a.* 8.

§. *In hac difficultate, Basilius Verdu relectione contra scient. med. part. 2. concl. 13. & oppositum dicere, censet impium & blasphemum; Gonzalez in 1. p. disp. 59. sec. 2. n. 13. adstruens expressam opinionem S. Th. & Discipulorum ejus.* Quod dictum est de Vincentio confirmat Leonard. 1. p. n. 50. pag. 64. authoritate Francisci Corneio Profess. Salmant. testis oculati, & auriti, qui dicit: *Vincentius lecturâ in 1. p. q. 19. a. 8. palam professus est, Deum materiale peccati neutiquam prædefinire; aiens ab hac sententiâ, solâ Ecclesiæ authoritate se posse dimoveri.*

63. Plures refert Paul. Leonard. p. 1. n. 46. 52. p. 2. n. 13. & quidem n. 46. inter cæteros Mag. Didac. Yanguas, & Mag. Mondragon, qui (teste M. Joan. Garcia Coronel Augustiniano in litteris ad R. P. Joan. Bapt. Piambinum ejusd. Ordinis Eremit. S. Aug. Procuratorem Generalem) *Asperè tulerunt à suis Monachis propugnari, Deum prædefinire actum peccati, vel ad ipsum impellere.* n. autem 52. addit Leonardi: *PP. Dominicani in Vrbe in responsione ad defensionem aliquorum PP. Collegij Romani Societatis* JESU, *n. 26. Ad bonum*, inquiunt, *præmovet Deus causam naturalem, & etiam liberam, sed non ad malum, quia Deus non est prima causa mali; hæc doctrina est S. Thom. 1. 2. q. 112. a. 3. ad 2.*

Consentiunt Dominicani, de quibus Annatus in Eugen. Philadelph. c. 3. §. 5. ubi ait, *Cùm hæc quæ-*

quæstio superioribus annis (hoc est, teste Henao eventil. 7. n. 179. ad annum 1636.) *agitaretur Tolosæ in generalibus Comitijs Ordinis S. Dominici, obtenderetur que Bannezij & Alvaris authoritas pro prædeterminationibus ad actus malos, significatum est ab ijs, qui positiones ea de re propugnabant, opinionem illam non videri huic tempori consentaneam.*

Joan. Nicolai in 2. d. 37. q. 2. a. 2. in notâ marginali litterâ T. & ad 5. lit. B. censet in sententiâ Joan. à S. Th. Goneti, & aliorum Thomistarum apud Hispanos communissimâ, formalem peccati malitiam constituente in positivo, Deum non posse prædeterminare actum peccati, quin sit causa peccati, & in fine addit: *Vah malè feriatos, qui & portentum illud pro Thomistico jactent*, & ad 5. *nec Thomista putatur esse, qui hæc monstra non credat? aut non assentiatur fingentibus? ô calumniam cæcam!*.

64. Similia Dominicanorum suffragia Molinæ contra prædeterminationem materialis peccati faventia V. apud Henao 2. edit. n. 179. & 899. ubi jam allegatîs adjungit Aravjum 1. p. q. 19. a. 10. dub. 2. n. 45. §. *tertia sententia* pag. 518. *citantem pro sententia negante positivam materialis peccati prædefinitionem ac prædeterminationem, Melchiorem Canum, Capreolum in 2. dist. 37. q. 1. a. 3. ad 2. Ferrariens. 3. cont. Gent. c. 71. Caiet. in l. 2. Reg. c. ult.*

c. ult. & jentaculo 6. q. 2. addit Heń. n. 1354. Mag. Navarettum to. 2. controv. 25. concl. 13. concedere, *nec in Scripturâ, nec in Conciliis vel doctrinâ SS. PP. inveniri verbum aliquod de prædeterminatione materialis peccati.* Dominicanis Molinæ fautoribus adjungi merentur P. Bartholomæus Ferreira, qui inf. c. 3. § 1. primus cum laude approbavit concordiam Molinæ, quem vocat *eruditissimum S. Tho. expositorem*, P. Balthasarus Burchnerus in litteris Universitatis Herbipolensis ad Clem. VIIJ. inf. §. 6. P. Hieron. Mazarellus sup. n. 32.

65. Nazarius to. 1. in 1. p. q. 22. a. 4. controv. 3. §. *An autem:* prædefinitionem materialis peccati omnino antecedentem improbat his verbis: *minùs dignè videtur de divina bonitate sentire quisquis existimat Deum ab æterno prædefinivisse, & in tempore prædeterminare voluntatem ad actum peccati.* Tum §. *sextò itaque* concl. 5. subdit: *voluntas creata primò seipsam determinat ad speciem mali moralis* & concl. 6. *post dictam voluntatis determinationem Deus eam determinat ad actum secundum speciem ejus naturalem, & eâdem ratione, prævisâ dictâ voluntatis determinatione ad speciem actûs moralem, prædefinit actum illius secundum speciem naturalem.* Quæ, qui potest capere, capiat. Certè illa capere non potuit ipse Nazarius, qui eodem

eodem a. 4. controv. 2. §. *nec presſiùs*, libertatis creatæ concordiam cum inſuperabili divinæ prædeterminationis efficaciâ fatetur eſſe humanæ menti incomprehenſibilem his verbis: *nec presſiùs neceſſe eſt, vel expedit hæc emungere; ſcriptum eſt enim, qui vehementer emungit elicit ſanguinem proverb.* 30. *nec poſſibile eſt humanæ menti nexum illius divinæ motionis efficaciſſimæ cum noſtræ voluntatis libertate comprehendere.* Ad quæ Nazarij verba Pet. à S. Joſeph defen. S. Th. diſp. 2. ſec. 10. §. 7. ſcitè monet, *auſcultandum Nazario cùm ait prædeterminationem phyſicam non eſſe presſiùs emungendam: periculum enim eſſet, ne illa ſimul cum ſanguine brevi animam efflaret.*

66. Nazario prælusit Ban. 1. p. q. 23. a. 5. §. *ad hanc objectionem*: dum ad perſuadendum adverſarijs ſuæ prædeterminationis myſterium requirit fidem cæcam his verbis: *nam primùm omnium debuiſſent credere, quod aiunt ſe non poſſe intelligere; credimus enim Catholici myſterium Trinitatis, etiamſi non intelligamus.* Cui conſonant Baſilius Verdu relect. contra ſcien. med. appendice fol. 75. *Credidit Maria poſſe Deum eam impregnare inviolatâ Virginitate; credas ergo & tu, ſi non intelligis, poſſe Deum ſuâ efficaciâ tuam libertatem impregnare prædeterminatione.* Ledeſma tr. de auxil. a. 10. §. *advertendum* aſſerens eſſe myſterium, *quod*

quod maximè ad fidem pertinet. Alvar. disp. 118. de auxil. n. 5. volens *credendum esse & captivandum intellectum in obsequium fidei.* Quæ, & similia non parum ridicula apud Borrull de scien. med. disp. 3. sec. 4. n. 203. etiam suis authoribus incomprehensibile physicæ prædeterminationis mysterium, ejus adversarijs meritò suspectum reddunt, qui incomprehensibilibus religionis Christianæ mysterijs à Deo revelatis, aut ab Ecclesiâ definitis fidem cæcam piè & humiliter adhibent, non sunt tamen adeò stolidi ut eandem habeant mysterijs à Bannezio nuper inventis, quorum contradictoria teneri & tanquam probabilia in Scholis Catholicis doceri permittit Ecclesia.

67. Denique prædeterminationes Physicas absolutè negarunt duo splendidissima Ordinis S. Dominici lumina Illustrissimus Franc. Aravjo Episc. Segobiensis & Reverendissimus P. Thomas Turcus Generalis Ordinis Prædicatorum. Et quidem Aravjo to. 2. in 1. 2, q. 111. a. 5. dub. 6. in editione an. 1646. typis Melchioris Sanchez. Ubi nostris argumentis acriter impugnat prædeterminationes physicas, & n. 41. vers. *sed accedat* ait: (apud Hen. Empyreologiæ præloq. 9. n. 35.) *mirum planè est quòd quidam novitij Theologi, quorum multi absque ullo examine suorum*

magistro-

magistrorum sectantur placita, tantam sibi fidem velint haberi, ut indubitanter posteri Theologi credere teneamur hunc Dei physicum humanæ voluntatis prædeterminativum concursum, cujus nec S.Concilia, nec SS. PP. aliquando meminerunt, sed ab eis fuit quodam fallaci discursu confictus. Et n. 42. pag. 465. *videant quam parùm consentaneè Augustinianæ doctrinæ loquantur, cùm nihil illis sit familiariùs, quàm quòd ita Augustinus dixit, ita docuit, nosque Aug. sententiâ & doctrinâ premunt. Sed ubi S. hic Pater physicæ prædeterminationis meminerit, non ostendunt.* Et n. 43. vers. *unde crediderim* allatis quibusdam D. Th. verbis ex q. 6. de verit. a. 3. clamat *esse manifesta contra prædeterminationes physicas & manifesta pro morali prædeterminatione tuendâ.* v. Henao in præfat. n. 17. & eventil. 6. n. 162. usque ad n. 171. in quo dicit, *post hæc primò à me edita an.* 1655. *quidã ex discipulis sapientissimi antistitis Aravjo ad ipsum scripsit de nostra cum M. Martinez disceptatione* (n. de illius mente) *respondit autem modestissimè, se etsi in juvenili ætate militasset pro physicis prædeterminationibus, in virili tamen accessisse ad morales.* Adhuc vivebat Aravjo cùm Salmanticæ an. 1665. absolvebat Henao 2. editionem scien. med. in qua n. 171. dicit: *Epistola Illustrissimi Aravjo hæc continens per varios circuitus pervenit ad meas manus ejus chirographo signata,* quam

quam paratus sum ostendere. V. Hen. event. 8. edit. 1.

68. Turcus verò, coram testibus omni exceptione majoribus, affirmavit doctrinæ Divi Th. contrarias esse prædeterminationes, tum Parisijs in magno Conventu PP. Prędicatorum anno 1646. tum Valentiæ Cidi in Hispania anno 1647. Primum testatur Galtrucius in institutione physicæ universalis disp. 4. c. 4. prob. 4. his verbis: *Cùm Parisijs an. 1646. in disp. publicis prædeterminationes physicas oppugnaret P. Ioan. Bagotius Societ Iesu ex S.Th. 1. p. q. 14. a. 13. O.* ubi docet non posse certò cognosci *effectum contingentem in suâ causâ tantùm,* quod falsum esset, si causa esset physicè prædeterminata; *tum Reverendissimus P. Turcus Generalis Ordinis S. Dominici non dubitavit idcirco palam asserere alienam esse à Divo Th. doctrinam de ejusmodi prædeterminationibus physicis.* Quod litteris (quas legi) an. 1664. huc datis confirmavit ipsemet P. Bagotius dicens *finitâ disp. R. P. Turcum summâ humanitate ad ipsum accessisse, ejus argumentum laudasse, & varia in confirmationem addidisse.* Secundum testatur Henao Empyreol. præloquio 9. n. 35 ubi refert quòd *Reverendissimus P. Th. Turcus, cùm in Capitulo Generali anno 1647. Mense Maio in civitate Valentinâ habito, adesset conclusionibus, in quibus Frater ejusdem Ordinis ex Provincia Tolosanâ physicas prædeterminationes tuebatur tanquam*

quam expressam S. Th. doctrinam, dixerit: *Fateor prædeterminationes physicas esse doctrinam plurium Thomistarum, sed ..... à S. Th. longè aberrantium, quibus si mihi ostenderis S. Thomam alicubi favere, promitto tibi magisterium.* Cujus, inquit Henao, testimonium habeo notarij publici chirographo consignatum. Idem refert verbis æquè efficacibus, licet nonnihil mutatis in 2. editione scien. med. historicè propugnatæ tum in præfat. n. 20. tum eventil. 8. n. 182. ubi illud R. P. Turci dictum confirmat novo testimonio authentico quatuor DD. S. Theologiæ, nempe *P. M. Fr. Ioannis Pertusa Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, D. Iosephi Leonardi Esteve Doctoris Cathedratici, D. Gasparis Tabuenga Doctoris Cathedratici, & Præpositi Congregationis Oratorij S. Philippi, D. Francisci Campos Doctoris Cathedratici*, qui disputationi interfuerunt, & *more Sacerdotali jurarunt ad Deum, & ejus sancta quatuor Evangelia* verum esse, quòd R. P. Turcus dixerit: *ostende mihi locum S. Th. in quo physicam prædeterminationem defenderit, & ego creabo te magistrum in religione contra constitutiones tuæ provinciæ:* repetendo *multoties ostende, ostende.* Quibus fidem facit indubitatam Notarius his verbis: *in præmissorum fidem ego Gaspar Enrich Notarius publicus de insigni Notariorum Collegio Civitatis & regni Valentiæ, hic loco scribæ ejusdem curiæ pono signum* † V. Henao sup.

69. Adde nonnullos è Dominicanis Molinę aſſentiri, qui ſtatuti aut juramenti religione prohibiti ſuum non audent ſenſum prodere. Id teſtatur Oviedus phyſic. controv. 10. p. 3. §. 1. n. 3. de mag. Ant. Vieſma primario Theologiæ Profeſſore magni nominis in Univerſitate Complutenſi, poſtea Epiſcopo Petrenſi, *qui* (inquit Ovied.) *numquam materias de gratia, ſcientia, prædeſtinatione attigit, ne in phyſicam prædeterminationem (ut ſæpè noſtris affirmavit) contra ſuam mentem prædeterminatus incideret*. Idem de ſe, & quibuſdam alijs ſibi affirmaſſe gravem Ordinis S. Dominici Doctorem (cujus nomen prodere ſecreti fides non ſinit) me audiente teſtatus eſt Gandavi an. 1661. 12. Sept. P. Ferdinandus del Plano vir ſpectatæ eruditionis ac prudentiæ è Societ. JESU.

70. Quin & ipſe Ban. paulò ante mortem Metinæ Campi an. 1604. piè obitam Molinæ ſuo antagoniſtæ non parum detulit, dum dixit *ſe PP. Societatis ſemper amaſſe, ab ipſis tamen in materiâ de auxilijs diſſenſiſſe, credens ſuam opinionem eſſe veram: at verò nunc judicare Societatis ſententiam eſſe valdè probabilem*. Ita P. Alphon. Ferrerius Societatis JESU, Provincialis Caſtellæ in litteris ad ſuum Generalem P. Claud. Aquaviva an. 1604. Valliſoleto datis, quarum fragmentum refert Poſſinus Societatis JESU hiſtoriographus in lib. de

auxil.

auxil. necdum typis evulgato pag. 1444.

71. Fatendum tamen hodie omnes aut ferè omnes Dominicanos ad physicæ prędeterminationis defensionem conspirare, sicut omnes Jesuitæ ad illius impugnationem conspirant, quæ tot sapientissimorum virorum in utramqne partem consensio, licet utrique parti magnam ab authoritate probabilitatem tribuat: inde tamen varij non improbabiliter inferunt prædeterminationem physicam non dari, aliquam verò moralem non posse negari, quâ Dominicani, & Jesuitæ pio quodam in suum ordinem, ejusque DD. affectus præventi, hi ad refellendas, illi ad tuendas prædeterminationes physicas prædeterminantur, non physicè, sed moraliter. Quis enim sibi persuadeat Deum decreto omnem voluntatis creatæ determinationem, hujusque prævisionem antecedente ab æterno statuisse omnes Dominicanos nullo ferè excepto ad tuendas, & contrà omnes Jesuitas ad repudiandas pręmotiones physicas independenter ab eorum affectu, ulla ratione, præviso prædeterminare? Credat hoc, qui volet, ego sanè nunquam adducar ut hoc mihi persuadeam; cum oppositum evincere videatur experientia, quâ constat istam Dominicanorum & Jesuitarum prædeterminationem ipsorum electioni ita subesse, ut, si qui à Dominicanis ad Jesui-

Jesuitas aut contrà à Jesuitis ad Dominicanos affectu, aut (quod Pontificum authoritate non nunquam factum est) etiam reipsa transeant, statim cum habitu priorem præmotionem exuant, & novam suo affectui consentaneam induant ad reijciendum quod antea mordicus tenebant, aut admittendum quod priùs respuebant. Eodem modo ratiocinandum de omnium Thomistarum prædeterminatione ad negandam, & omnium Scotistarum, Jesuitarum, & aliorum ferè omnium Ecclesiæ DD. ad piè asserendam Immaculatam B. Virginis Conceptionem. Ac proinde dicendum ejusmodi variorum Ordinum contrarias opiniones unanimi consensu acriter defendentium determinationem non à prævio Dei concursu physicè, sed à prȩvio ipsorum affectu moraliter prædeterminativo procedere. Cur enim Deus ex suâ propriâ electione, his omnibus præmotionem imprimeret ad piam sententiam, & illis omnibus, nullo prorsus excepto ad oppositam?

§. VJ.

Universitates Molinæ adversùs prædeterminationem physicam faventes.

72. NEque solũ Authores ex quovis Ordine illustres Jesuitarũ adversùs prædetermina-

tiones

tiones physicas doctrinæ suffragati sunt: sed & celeberrimæ Universitates eam probarunt ac defenderunt.

73. Universitas Complutensis, ejusve Facultas Theologica, quæ (teste Paulo Leonardi p. 1. n. 37.) anno 1597. 24. Julij ex commissione Illustrissimi & Reverendissimi D. Camilli Caietani Patriarchæ Alexandrini, in Hispaniarum Regnis Apostolicæ Sedis Nuncij per D. Rectorem interrogata de prædeterminatione physicâ respondit his verbis: *Vtrum inter gratiam excitantem, hoc est, congruam cogitationem intellectûs, & subitum motum voluntatis, ex unâ parte, & nostrum liberum consensum, concursumque actualem Dei illi debitum, ex aliâ mediet aliqua physica applicatio prædeterminans voluntatem.* Respondit 5. Augusti ejusdem an. 1597. *P. Vasquez tenet negativam partem, existimans dictam gratiam excitantem esse causam sufficientem nostri liberi consensûs cum concursu Dei illi debito; quâ in re quamvis Augustinus non excludat expressè dictam physicam prædeterminationem, quia de illâ non agit, non tamen illam exigit, sed secundùm ejus doctrinam dicta gratia excitans est sufficiens.* Cui responsioni subscripserunt DD. hoc ordine, *D. de la Camara Sac. Scripturæ Interpres, D. Lud. de Tena Primarius Theologiæ Professor in Cathedrâ Scoti, D. Aluarez Villegas Vespertinæ Cathedræ Professor, D. Franc. Perez*

 Tri-

Tribaldos Philosophiæ Moralis Professor, *D. Ildephonsus Fernandez*, *D. Hieron. Ruzius*, *D. Andreas Perez*, *D. Ioan. Garcia*, *D. Orduña*. Deinde facit fidem sigillo Universitatis ejus Secretarius & Notarius *Lud. de la Serna*. Protestatus est Bastida an. 1605. coram Paulo V. de auxilijs disputans, PP. Societatis in Collegio Romano authenticum habere testimonium istius judicij Complutensium. V. Henao eventil. 12. n. 257. & seqq. ubi profert tres censuras Acad. Complut. in favorem Molinæ.

74. Eundem fuisse sensum Salmanticensium evincunt testimonia Virorum doctrinâ & virtute præstantium, ac nominatim litteræ R.P. Fr. Joan. Marquez Augustiniani vespertinæ Cathedræ in Salmantinâ Universitate Magistri datæ an. 1600. 28. Sept. ad P. Joan. Bapt. Piambinum Procuratorem generalem totius Ordinis S. Augustini à Pontifice designatum ad examinandam Molinæ concordiam, in quibus (ut refert Leonardi p. 1. n. 43.) sic habet: *Quod scribit R.P. Mag. Pet. Manriquez*, *hoc ipsum à me sentitur*, *authorem* (scilicet concordiæ) *esse Virum perinsignem*, *nec quidquam apparere in ejus operibus*, *quod non hominem in primis Catholicum*, *& consummatè eruditum suboleat*, *quæ est familiæ nostræ communis de illo æstimatio. Et quod ad punctum de physicâ præmotione spectat*, *arbitror citra controversiam esse*, *nunquam à S. P. nostro Aug.*

cog-

cognitam fuisse, nec ei in mentem venisse.

75. V. Plura apud Paul. Leonar. p. 1. sec. 10. & 11. ubi n. 46. aliam de eodem argumento refert epist. D. Joa. Garziæ Corouel Theolog. Facultatis Primarij in Vallisoletanâ Academiâ Professoris ejusdē Ord. S. Aug. ad eundem Piambinum Vallisoleto datam an. 1600. 17. Octob. in quâ dicit. 1. *Has prædeterminationes video generaliter displicere omnibus viris doctis, qui versati sunt in rebus speculativis & Scholasticis vel in controversijs fidei contra Hæreses. 2. quod ad actum peccaminosum spectat, viri gravissimi PP. Prædicatorum, quales sunt P. M. Fr. Didac. Yanguas; & M. Mondragon asperè tulerunt à suis monachis propugnari Deum prædefinire actum peccati, vel quod impelleret ad ipsum. 3. De Academiâ Salmanticensi liquet mihi, exceptis Dominicanis, reliquos excellentiores Professores negare hujusmodi prædeterminationes, quales sunt MM. Curiel, Antolines, Sarmiento, Arroyo, & omnes MM. Conventus Augustinianorum. 4. In Complutensi Academiâ generaliter recedunt à prædeterminatione physica, & cum certitudine novi censuram tulisse in favorem oppositæ sententiæ. 5. Percipere non valeo quomodo cum istâ præmotione consistat determinatio Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. can. 4. nec satis concipere queo, in quo hę prædefinitiones differant ab errore Calvini. 6. Sententiam Molinæ esse beatorum Aug. & Th. pro indubitato habeo.*

beo. 7. Authoritas virorum qui contradicunt me moveret, nisi ſatis adverterem in his particulares affectus miſceri, quos penetrare non eſt difficile. Plura Henao n. 297. & n. 1215. ubi præcitatis addit teſtimonium P. Didaci Beza to. 3. in Evang. l. 14. c. 16. §. 35. pag. 348. 349.

Valentinam Academiam faviſſe & etiamnum favere Molinæ iteſtatur Borrull in opere (quod Valentiæ conſcripſit & prælegit ac poſtmodum an. 1656. Lugduni typis vulgavit) de ſcien. med. diſp. 5. ſec. 5. n. 370. Idem de Academia Valliſoletanâ, Cæſar-Auguſtanâ & alijs Hiſpaniæ Academijs ac præcipuè de Conimbricenſi efficaciter probat Henao eventil. 45. n. 1208. & ſeqq.

76. Complutenſi alijsque Hiſpaniarum Univerſitatibus conſentientia, in favorem Molinæ contra prædeterminationem, dederunt teſtimonia variæ Univerſitates Germaniæ. Univerſitas Moguntina litteris ad Clementem VIIJ. an. 1601. datis, quibus conqueritur de prædeterminatoribus ſuam ſententiam de gratiâ intrinſecè efficaci jactantibus ut fide certam, oppoſitam verò pro Pelagianâ cenſendam, & ad ipſum à Molinæ doctrinâ Pelagianiſmi (ut contendebant adverſarij) damnandâ avertendum, dicit (teſte Paulo Leonar. p. 1. n. 38.) *Conſtat enim doctiſſimos quoſdam Theologos, nominatim Illuſtriſſimum Cardi-*

Cardinalem Bellarminum, & Thomam Stapletonum, sententiâ illâ, quam Molina sequitur, nixos, Calvinianorum dogmata hactenus evertisse, & Concilij Tridentini sanctiones defendisse; quo præsidio si destituti fuerint, tum ingens apud Catholicos oborietur scandalum, tum ansa præbebitur Calvinistis, quasi de partâ contra nos victoriâ triumphandi. Tum subjungit: *etiam atque etiam beatitudinem vestram rogamus, ut Catholicarum Academiarum in tam arduâ quæstione judicium sciscitari non gravetur, non quod arbitremur* (inquit) *Sedem Apostolicam informatione earum opus habere, sed ut accuratiùs DD. Septentrionalium disputationibus (quibus assiduum in hoc genere cum hæreticis certamen est) discutiatur, an illa opinio de efficaciâ gratiæ cum necessario voluntatis consensu conjunctâ affinitatem aliquam habeat cum errore Calviniano.* Subscripserunt quatuor DD. *Stephanus* We*berus Suffraganeus Moguntinus, Christianus Agricola Præpositus, Christophorus* Weberus, *Albertus de Puteo & duo licentiati, præter aliquot Societatis* JESU. V. Hen. n. 299.

77. Universitas Herbipolensis in suâ Epistolâ an. 1601. 7. Julij ad Clementem VIIJ. de eodem argumento datâ, in quâ (ut patet ex ejus verbis apud Paul. Leon. p. 1. n. 40.) etiam conqueritur de rumore disseminato ab adversarijs passim venditantibus suam sententiam ut fide cer-

tam, & petit ut dignetur sua sanctitas Academiarum Catholicarum præsertim Septentrionalium, ubi magis vigent, & ideo accuratiùs examinantur hæreses, audire sententias. Additque: *Utinam Sectarij in Germaniâ, quando ad eos fama defertur, aliquos è Catholicis Theologis opinari, per divinam gratiam sic homini prædeterminari voluntatem, ut nequeat cum ejus motione adjungi dissensus, non magis confirmentur in sui erroris sententiâ de libertate nobis per cælestis gratiæ potentiam ereptâ.* Subscriptio erat: *sanctitatis vestræ filij observantissimi in Academia Herbipolensi Theologiæ Doctores, & Professores Eucharius Sancius Episcopus Augustopolitanus, & pro tempore Suffraganeus Herbipolensis S. Theol. Doctor.* Hunc sequebantur quatuor alij Doctores sæculares Ecclesiastica dignitate illustres, tum duo Doctores religiosi, & quidem primus, quod benè notandum, *Fr. Balthasarus Bucchnerus Ord. S. Dominici Sacræ Theologiæ Doctor Monasterij Herbipolensis Superior, Fr. Gaspar Levibach Ord. S. Francisci Sacræ Theologiæ Doctor Monasterij Herbipolen. Concionator Generalis. Postremo P. Henricus Haverus Collegij Societatis* Jesu *Rector* cum Martino Becano, & alijs S. Theologiæ Professoribus ejusdem Societatis. V. Hen. n. 298.

78. Universitas Coloniensis in explicatione & refutatione errorum Joan. Monhemij (apud He-

nao

nao n. 208.) ſic loquens: *quamvis nihil operetur fidelis, quod non efficiat Deus; quamvis non ſolùm gratia conferatur, ut converti poßimus, ſed etiam ut convertamur; etſi gratia hæc, quæ ad operandum neceſſaria eſt, & velle facit, non ſit quæcumque inſpiratio, ſeu boni propoſiti ſuggeſtio, ſed efficax Dei operatio; quamvis hæc omnia vera admittamus, & ex D. Auguſtini varijs libris elici poſſe concedamus: homini tamen ſemper liberum relinquitur divinæ inſpirationi præbere impedimentum, eamque vel admittere, vel etiam reſpuere: ſic Irenæus &c.* quæ, cum coram Paulo V. retuliſſet Baſtida, ſubjunxit: *quid clarius ad reijciendam phyſicam prædeterminationem dici poßit non video*: & meritò, quandoquidem ex adverſariorum principijs certum ſit *homini liberum non relinqui divinæ operationi* phyſicè prædeterminanti præbere impedimentum, eamve admittere aut reſpuere. Expreſsè enim dicit Ban. in 1. p. q. 23. a. 5. in ſolutione ad 7. Javelli §. *ad ſeptimum: Effectus divinæ voluntatis* (nempe efficaci prædeterminatione moventis) *impediri non poteſt à voluntate noſtrâ.*

79. Hactenus productis in Molinæ favorem ac defenſionem univerſitatibus adjungi poſſe cæterarum Matrem Univerſitatem Pariſienſem, ſatis conſtat ex celeberrimis ejus DD. ſup. n. 41. contra prædeterminationem phyſicam adductis.

Unde Pet. à S. Joseph in suâ concordiâ suavi disp. 4. sec. 4. n. 4. §. *addo*. Ita scripsit & an. 1639. Parisijs in ipsius Sorbonæ oculis edidit: *addo me à viris fide dignis accepisse, ex quo tempore excitata est controversia, de quâ agimus, physicam prædeterminationem in Collegio Sorbonico, à sapientissimis Theologiæ lectoribus, unanimi consensu, semper ut falsam, & parum tutam rejectam fuisse: & ne unum quidem inter illos hactenus repertum esse, qui eam probaverit. Vnde plusquam probabiliter convinci potest eam communissimè etiam ab alijs Academiæ Parisiensis DD. quorum propè infinitus est numerus, repudiari, & scientiam conditionatam admitti.*

80. His consonat Annat. in suo Eugen. Philad. c. 3. §. 6. dum ait, *quod ante aliquot annos scribebat Petrus à S. Ioseph, alienos esse à physicis prædeterminationibus Sorbonicos omnes Professores, adeò perseverat, ut ex illis sex, qui quotidie ad Sorbonam docent, nullus prædeterminationem approbet; & anno superiori scilicet 1632. cum ad pileum Baccalaurei supra 40. pararentur, duo tantùm inventi sint, qui causam prædeterminationis susciperent.*

Eundem etiam anno 1656. fuisse constantem Sorbonę sensum testatus est hac de re consultus D. Jac. le Brun, Philosophiæ Professor non ignobilis, litteris Parisijs huc eo an. datis, mihique exhibitis, quibus nuntiabat ex permultis in Acade-

Academia Parisiensi Philosophiæ ac Theologiæ Professoribus duos solùm vel ut summùm tres (præter Dominicanos) physicis prædeterminationibus patrocinari. Idem de plerisque Professoribus Lovaniensibus, sub idem tempus Lovanio nuntiavit alius fide dignus.

81. Denique Sorbonam ab ipso hujus controversię exordio à Molinæ partibus stetisse argumento est, quod, quamvis à Lovaniensi ad suffragandum ejus censurę contra Lessium sollicitè invitata, id constanter recusaverit, ut refertur in imagine primi sæculi Societatis JESU l. 6. c. 4. & consulta de Molinæ doctrinâ, cum Romæ coram Clem. VIIJ. acriter agitaretur, *ei suffragata sit, quod reperiet, qui Sorbonæ tabularia voluerit excutere*, inquit Cellotius de Hierarchiâ l. 8. c. 28. §. 2. vers. *Ludovicum Molinam.* Quod, libro in ipsis Sorbonę oculis edito, approbantibus quatuor ejus DD. nunquam asseruisset vir sapiens nisi planè constitisset. *Neque fieri aliter potuit* (inquit Annat. in Eugen. Philadel. sup.) *ut Sorbona sibi constaret, essetque consentiens hodierna pristinæ. Siquidem olim ea definivit, quæ cum physicis prædeterminationibus stare nequeunt, ut facilè comperiet qui excusserit ea, quæ addita sunt ad 4. sent.* in fine editionis Lovaniensis an. 1546. ubi pag. 389. recensentur errores Joan. de Mercuriâ notati à

DD. Pa-

DD. Parisiensibus, quales sunt. 1. *qualitercumque vult Deus, vult efficaciter esse.* 2. *quicumque peccat conformat voluntatem suam voluntati beneplaciti Dei, sic quod illa vult, sicut Deus vult eum velle.*

82. Opponunt adversarij Alvar. l. 1. resp. c. 1. n. 30. §. *præterea* Salmanticenses discalc. seu Anton. de matre Dei tr. 3. disp. 10. dub. 8. §. 1. n. 130. Joan. à S. Th. disp. 20. a. 4. §. *quapropter* & alij Censuram Universitatis Lovaniensis, cui subscripsit Duacena contra doctrinam Lessij.

Verùm jam allegari nequit ista censura nisi in suorum authorum dedecus, & doctrinæ Lessij ac Molinæ confirmationem.

Primò quia pridem authoritate Apostolicâ fuit reprobata & gravissimè prohibita per edictum Octavij Calatini Apostolico Sixti V. mandato an. 1588. ad Lovanienses datum, ac postmodum jussu Greg. XIV. an. 1591. ad Duacenses disertè extensum & innovatum, in quo à Lovaniensibus damnatæ Lessij propositiones vocantur *sanæ doctrinæ articuli.* Quibus verbis priùs à Sixto V. rerum Theologicarum peritissimo fuerant approbatæ, tum in Amplissimo Cardinalium cœtu, qui super ijs sententiam rogati, *ut sanæ doctrinæ articulos* comprobarunt, tum in litteris quibus Octavium instituerat judicem, ut referunt Isacus Habert Episc. Vabrensis in defensione

ſione fidei c. 14. §. 3. apud Moraines diſp. 23. ſec. 4. n. 24. & Paulus Leonar. p. 3. ſec. 9. n. 42. ex imagine primi ſæculi Societatis l. 6. c. 4. §. *adverſantium nobis*.

Secundò quia utraque univerſitas, poſt admiſſam magnâ ſubmiſſione & obedientiâ ſuæ cenſuræ prohibitionem, re meliùs examinatâ, doctrinæ Leſſij & Molinæ non parum favit. Lovanienſis quidem, quando clariſſimi ejus Profeſſores Malder. & Wighers ſup. n. 41. & teſte Præpoſito in diſſertatiuncula de ſcien. med. d. 1. n. 4. Jacobus Clarius rejectâ prædeterminatione phyſicâ Jeſuitarum ſententiam ſecuti ſunt, & ab anno 1598. ad an. 1637. doctrinam cenſurę nobis objectæ contrariam Theſibus impreſſis in Scholis Academicis defenderunt, præter jam citatos, alij celebres Regij Profeſſores Joan. Janſonius, Samuël Loiaërtius, Guil. Schinkelius, ut ex Theſium Lovanienſium contra Janſen. c. 2. de gra. §. 9. refert Annatus in præfatione informationis de 5. Propoſitionibus Janſen. n. 36. pag. 41. ubi addit Guilielmum ab Angelis ejuſdem Univerſitatis Profeſſorem ac poſtmodum Epiſc. Ruremundenſem an. 1646. *luculentam dediſſe approbationem ſcientiæ mediæ*.

83. Duacena verò, primò quia Ianſeniſmo ſub annum 1640. in Belgio naſcenti & to. 1. Auguſti-

Augustini Ipren. de hæresi Pelagiana cap. 17. & alibi sæpiùs Molinę ac Lessio Pelagianismi, & Semipelagianismi notam impingenti, ab ipso ejus exordio, bellum indixit, quamvis non ignoraret præcitatam majorum suorum censuram ut Augustinianam magnificè extolli ac defendi à Jansenio eâ potissimùm utente l. 3. de gra. Christi Salvatoris c. 1. ad firmandum suum errorem *de gratiâ purè sufficienti monstrosâ & impossibili.*

Secundò quia an. 1646. ad reprimendum Jansenismi impetum adversus Catholicam Jesuitarum doctrinam de arbitrij libertate, Dei gratiâ ac scientiâ, non sine elogio approbavit 12. conclusiones, in epistolâ Eximij D. Valentini Randour ad Fromondum sub Fulgentij laruâ Emunctorij authorem, contentas, quibus pręcipua capita doctrinę Lessij & Molinæ, aliorumque PP. Societatis explicantur, & scientia media clarè exprimitur concl. 7. his verbis.

84. *Scientia conditionata quædam admittenda est, quâ prænoscit Deus an liberum arbitrium, relictum sibi ac communibus auxilijs, sit in talibus circumstantijs peccaturum, an verò substantiam actus peccaminosi suspensurum, si voluerit ipse Deus liberum arbitrium in his circumstantijs constituere; utque id prævideat Deus, nullo opus habet decreto suæ voluntatis existenti,*

ſtenti abſolutè, & tali ſcientiæ prævio, ſed ſola opus eſt volitione Dei conditionatâ, quam expreſsè ſignificat to, ſi voluerit &c. *uti ſi apponatur quæpiam alia conditio.* Concl. autem 8. additur hæc ejus explanatio:

Per hujuſmodi ſcientiam ſimiliter prevĭdet Deus, an ſi ipſe vellet dare tales vel tales gratiæ prævenientis vires, liberum arbitrium per eas flecteretur ac determinaret ſeipſum ad cooperandum actum meritorium; an verò id ipſum liberum arbitrium gratiam excitantem fruſtraturum ſit, ac futurum ut operantem oblatam reſpuat, denegans ei cooperationem vitalem propriam; utque id prævideat Deus, nullo opus habet decreto ſuæ voluntatis exiſtenti abſolutè, & tali ſcientiæ prævio, ſed ſatis eſt, ſi conditionem decreti ſui poſſibilem prænoſcat ut cæteras conditiones. Tum concl. 9. ſubjungitur: *abſoluta permiſſio peccati liquidò intelligitur ſine antecedenti Dei volitione terminata directè ad ſubſtantiam actus mali in ſeipsâ.* Quibus conformia habentur concl. 11. & 12.

85. His autem concluſionibus damnatæ per Sixtum V. cenſuræ è diametro oppoſitis in præfatâ Randourij epiſtolâ cum approbatione Eximij D. Theodori Van Couverden 2. Aug. an. 1650. Duaci editâ & libro, cui titulus, *veritas & æquitas cenſuræ Pontificiæ* adjunctâ, luculentam dedit approbationem Duacenſis Sacra Facultas Theo-

Theologica 10. Maij an. 1646. eamque confirmavit 25. Jul. an. 1650. his verbis.

Hæ conclusiones & his necessariò annexæ, cum præmotiones gratiæ liberum arbitrium necessitantes antecedenter respuant; vires primas efficaces in quocumque statu tribuant gratiæ ad actum meritorium; quæ vires gratiæ agentia libera discernant in actu 2. licet discreta non fuerint in actu 1. cumque de divinâ præscientia altè sentiant, videlicet, Deum præscire, si poneretur sua ipsius volitio de medijs vel gratijs, aut quæpiam alia conditio, quid ex vi causæ necessariæ vel liberæ sequeretur necessariò vel liberè; ac fateantur, usum bonum gratiæ, si à Deo daretur, præscitum conditionatè nullam esse causam meritoriam ut absolutè detur, sed finalem dumtaxat: hæ, inquam, sententiæ nulli errori sunt affines, sed Catholicæ, religiosæ, piæ, solidæ contra hæreticos aliosve à PP. Societatis Iesu, & quibuslibet defendi possunt. Huic approbationi subscripserunt.

Valentinus Randour pro tempore Decanus, S. Theol. Doctor & Professor. Georgius Colvenerius S. Theol. Doctor & Professor. Franc. Sylvius S. Theol. Doctor & Professor. Theod. Van Couverden S. Theol. Doct. & Professor. Matthias Naveus S. Theol. Doctor Canon. Theol. Tornac. Nicol. le Long S. Theol. Doct. & Professor. Quibus subjungit Randourius: *Vides hic Fulgenti, agmen aliquod seniorum nostrorum pro orthodoxa*

thodoxâ doctrinâ militantium, qui si tibi videmur pauci, ne ignores confœderatos nobiscum pro veritate & æquitate ad 90. DD. Eximios Parisienses, seniores ferè & omnes.

86. Tertiò, quia censuræ oppositam Molinę & Lessij doctrinam in Theologica Universitatis Schola ad obtinendos gradus Academicos, pro candidatorum arbitrio, tamquam orthodoxam defendi sinit, imò & ipsa per suos Professores Regios disputationibus Præsidentes defendit, ut manifestum est ex Thesibus Synopsi Regi Catholico dicatæ subjunctis, alijsque in eâdem perillustri Scholâ propugnatis.

Quartò deniq; quia religiosè observans edictum Apostolicũ inf.c.3.§.1.& 2. citatũ, quo statuitur, ut in hac controversiâ *utriusque opinionis assertoribus maneat sua sentiendi & docendi libertas, servatâ utrimque Christianâ in eruendâ veritate modestiâ depulsisque hinc inde injuriosis, ac invectivis, privatis, publicisque convitiis*; non tolerat convitia dictave adversus Molinæ doctrinam mordacia, quale censuit & palam improbavit illud: *pactum initum cum Christo de gratiâ dandâ infallibiliter facienti quod in se est, ex facultate naturę est inventum Molinisticum ideoque fictitium*: quod Duaci anno 1662. 29. Martij à quodam Thomistâ fuerat insertum uni ex Thesibus pro priore ad Baccalau-

reatum

reatum Propositis, quam propterea Thesim propugnari vetuit sacra Facultas Theologica.

87. Ex dictis evidens est, utramque Universitatem suppressas & edicto Apostolico prohibitas majorum suorum censuras nunc habere pro cassis ac nullis; ac proinde illas, uti & alias quas jactant adversarij à Romanis judicibus latas non majorem habere vim contra doctrinam Lessij & Molinæ, quam modo habeant contra S. Thomæ doctrinam censuræ adversus quosdam illius articulos ab Academia Parisiensi an. 1277. latæ, quibus, cum aliis ejusdem Academiæ Doctoribus scientiæ famâ celebribus, subscripsit Henricus à Gandavo, ut constat ex ipsius quodlib. lib. 2. q. 9. quod teste Henaò event. 3. n. 98. fusè narrant Ferdinandus del Castillo lib. 3. Chronici Prædicatorum cap. 31. & Thomas Pius in prologo ad 1. p. q. 1. dub. 2. Habentur autem aliqua ex istis censuris in fine l. 4. sent. edit. Lovanij an. 1546. pro quarum nullitate declaranda dicit (apud Leonar. p. 1. n. 22.) Hier. Vielmius Ordinis S. Dominici Æmoniæ Episc. l. 1. de scriptis & doctrinâ S. Th. *Cum Apostolica Sedes, & Catholicus orbis reliquus tanquam Senatus-Consulto Thomæ doctrinam comprobaverit & receperit, quid est ergo cur illa Parisiensium placita nobis rursus quisquam objiciat?* Pari jure possu-

possumus Salmanticensibus discal. Joanni à S. Th. Mariales, & aliis Molinæ adversariis opponere, cur illas prætensas Censorum Romanorum, & præcipites aliquorum DD. Censuras *nobis rursùs objiciant*, quas constat Apostolica authoritate sup. n. 82. & inf. c. 3. §. 1. & 2. esse damnatas & gravissimè prohibitas.

CAPUT IJ.

Authores plurimi & gravissimi prædeterminationem Physicam rejiciunt ut Divo Thomæ repugnantem.

§. I.

Omnes Societatis Jesu *Scriptores prædeterminationem rejiciunt ut S. Tho. contrariam.*

88. TAnti est apud omnes D. Angelici authoritas, ut (quod meritò ei gloriæ vertitur) omnes ferè Catholici, etiam contraria sentientes ejus ambiant suffragium tanquam validissimum suæ sententiæ firmamentum; quod

præcipuè elucet in controversiâ de causæ primæ concursu cum secundis, ab uno ferè sæculo inter Catholicos maximè agitatâ: cùm omnes prædeterminationis physicæ patroni, nullo excepto, eam potissimùm D. Angelici authoritate fulcire contendant; contra verò eâdem authoritate illam evertere nitantur omnes ejus adversarii, unico, quem noverim, excepto Bellovio, de quo sup. n. 39.

Omnes quidem Societatis Jesu DD. ab ipso controversiæ exordio suam de scientiâ mediâ sententiam adversus decreta physicè prædeterminantia, in solemnibus illis disputationibus coram Summis Pontificibus Clemente VIIJ. & Paulo V. ab anno 1602. usque ad 1606. authoritate potissimùm SS. Aug. & Th. constanter propugnasse fatentur adversarii Salmanticenses discal. Mariales to. 4. pag. 153. 158. & 435. Quod

Constat 1. ex verbis quibus (teste Paulo Leonardi p. 2. sec. 11. n. 48.) P. Ferdinandus Bastida octavam disp. coram Paulo V. an. 1605. habitam sic incepit: *rem aggredior P. Beatissime non optatam solùm mihi, & diuturnis votis expetitam; sed etiam ad hujus controversiæ rationem magni ponderis, quam variis de causis non ingratam futuram existimo. Aggredior enim Angelicum Doctorem D. Th. ab eâ vendicare sententiâ, quam gravissimi DD.*

Calvi-

Calvino assignare non dubitant &c. eamque hoc modo terminavit: *ego verò hoc uno irrefragabili argumento absolvo; vel cæcutivisse omnes, qui à trecentis annis S. Th. doctrinam evoluerunt & sequuti sunt, vel sententiam de physica prædeterminatione ex mente S. Th. non esse: certum est enim nullum ex veteribus ante Dominic. Ban. ita scripsisse vel sensisse; ut autem D. Thomæ tale quid tribueretur, ne somniasse quidem.* Hæc & alia ejusmodi habentur in tomis manuscriptis quos Bastida morti proximus testamento legavit Collegio Vallisolitano Societatis Jesu ex quâ pridem (ut sup. n. 22. diximus) erat egressus. Pro quibus V. Henao in 2. edit. eventil. 5. n. 156. & eventil. 9. n. 187. ubi post alia multa in eundem sensum Bastidę verba fusè relata subjungit illud Joannis à S. Th. *nos verba referimus, non censuramus, nec censuram acceptamus &c.* sup. n. 6.

89. Constat 2. ex responsô, quod in congregatione jussu Clem. VIIJ. coram Card. Madrucio an. 1599. die 22. Febr. habitâ P. Claudius Aquaviva Generalis Jesuitarum dedit Reverendissimo P. Generali Dominicanorum: cùm enim hic dixisset non posse religionis suæ DD. convenire cum Societatis Jesu Theologis in controversiâ agitatâ, quousque utrique conspirarent in verba S. Th. Respondit Aquaviva D. Ange-

licum jam olim propositum esse Societati tamquam ducem, cujus vestigiis insisterent ejus DD. in Theologiâ Scholasticâ; *eamque potissimùm ob causam omnes Societatis Theologos nullâ inter se communicatione factâ, nullâ unquam vi compulsos in abigendâ physicâ præmotione, & scientiâ mediâ amplexandâ conspirasse, quod intelligerent S. Augustini & D. Thomæ fundamentis nihil esse magis consentaneum.* Ita Paul. Leonar. p. 1. sec. 8. n. 35. & p. 3. n. 22. Henao eventil. 12. n. 85. in 2. edit. eventil. 13. n. 309.

Constat 3. ex decreto ejusdem P. General. Aquaviva an. 1613. 14. Decemb. Româ misso ad omnes Societatis JESU Provincias hoc tenore: *mandamus ut in tradendâ divinæ gratiæ efficacitate nostri eam opinionem sequantur, sive in libris, sive in lectionibus, ac publicis disputationibus, quæ à plerisque Societatis nostræ Scriptoribus tradita, atque in controversiâ de auxiliis divinæ gratiæ coram Summis Pontificibus piæ memoriæ Clem. VIII. & S. D. N. Paulo V. tamquam magis consentanea SS. Aug. & Th. gravissimorum PP. judicio explicata, & defensa est. Nostri in posterum omnino doceant inter eam gratiam, quæ effectum reipsâ habet, atque efficax dicitur, & eam quam sufficientem nominant, non tantùm discrimen esse in actu secundo; quia una ex usu liberi arbitrij, etiam cooperantem gratiam habet,* ut

ut effectum sortiatur ; altera non : sed in ipso actu primo, quod positâ scientiâ conditionalium ex efficaci Dei proposito, atque intentione efficiendi certissimè in nobis boni, de industriâ ipse ea media seligit, atque eo modo & tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus, si hæc inefficacia prævidisset. Quare semper moraliter, & in ratione beneficii, plus aliquid in efficaci, quàm in sufficiente gratiâ etiam in actu primo contineri, atque hâc ratione efficere Deum, ut reipsâ faciamus. Ita habetur apud Paul. Leonar. p. 2. sect. 12. n. 55. & apud Henao eventil. 12. n. 85. & in 2. edit. eventil. 13. n. 310.

90. Quamvis hoc decretum ita subinde fuerit explicatum, ut in ijs, quæ præcipit, directionis potiùs, quàm legis vim habeat, ex eo tamen manifestè falsitatis convincuntur Petrus Ledesma tr. de auxilijs in præfatiunculâ, ubi dicit Clementem VIIJ. concessisse *Dominicanis veris D. Th. Discipulis, ut suam sententiam sine aliquâ limitatione sequantur :* Jesuitis verò, *qui D. Angelici doctrinam saltem hâc in parte non sequuntur, ut istam materiam in lucem proferant taliter, quod sanam & Catholicam doctrinam in omnibus doceant.* Et Quæstionarius Tolosanus, qui thesi 9. (quam non immeritò Annatus vocat *Nidum mendaciorum*) asserit Molinistas an. 1602. in ipso Disputationum coram Pontifice habitarum exordio : *dixisse se à D. Tho-*

mâ discedere non obstantibus eorum statutis. Et alij ex adversarijs, qui temerè spargunt initio hujus Controversiæ fassos esse Jesuitas (quod insinuat Ledesma præfat. in tr. de auxil.) suam hâc in re doctrinam esse D. Th. contrariam. In quo non advertunt se, dum Jesuitarum doctrinam obscurare nituntur, doctrinæ S. Th. non parum splendoris adimere. Si enim Jesuitarum doctrina in controversiâ de auxilijs sit ipsorum confessione D. Angelico contraria, & ut talis coram Pontificibus ab ipsis propugnata, ergo Pontifices Clem. VIIJ. & Paul. V. dum post multas Disputationes huic controversiæ finem imposuerunt, permittendo utriusque partis doctrinam publicè doceri, Catholicis omnibus Academijs concesserunt facultatem ex professo tradendi sententias D. Th. manifestè contrarias, ęquè ac ipsius doctrinam, & quidem in re summi momenti, ut est controversiâ de auxilijs. Quod quomodo stet cum tot Pontificum approbationibus & encomijs doctrinæ S. Th. de quibus meritò gloriantur omnes veri Thomistæ, viderint ipsi, qui hujusmodi fabellis temerè jactatis hanc imprudenter communi in Ecclesiâ, etiam partium adversarum, Doctori faciunt injuriam. Certè ego nunquam adducar ut credam Sapientissimos Pontifices probasse & concessisse, aut Jesuitas fuisse ausos petere ut doctrina Sancto

Th.

Th. adeoque & ejus Magiſtro (cui fideliſſimè adhæret) D. Auguſtino contraria publicè doceretur, præſertim in explicandâ gratiæ naturâ, de quâ tot errores duo hi DD. ſapientiſſimi feliciter expugnarunt.

Diſcrimen limitationis, quod notat Ledeſma in permiſſivâ utriuſque ſententiæ approbatione à Clemente factâ, eſt ex ejus falsâ & minùs benignâ interpretatione confictum: ſicut enim (ut rectè Leonardi p. 1. n. 34.) non inſinuat Pontifex *Dominicanos à S. Th. veſtigijs aliquando abijſſe, dum eos hortatur ut illi conſtanter adhæreant*; ita nec inſinuat *Ieſuitas ab orthodoxis ſemitis unquam deviaſſe, dum illis Catholicam & ſanam doctrinam commendat.*

91. Ex dictis patet frivolum eſſe quod ex libello de ratione ſtudiorum Societatis juſſu Generalis edito an. 1586. comminiſcuntur adverſarij, Quæſtionarius Theſi 9. Gonetus to. 7. diſp. 6. a. 2. §. 4. pag. 677. & alii aſſerentes Jeſuitas in eo libello §. *de opinionum delectu* apertè fateri prædeterminationem eſſe S. Th. atque ab illo ſe hoc in puncto recedere. Hunc libellum non legit Gonetus, aut infideliter citavit. 1. enim dicit: *hunc libellum pro regula lectoribus omnibus Societatis tradi*. Cujus falſitas manifeſta eſt ex ipſo proœmio ad lectorem, quod ad detegendam adverſariorum deceptionem, & revincendam ſecùs

 ſen-

sentientium pervicaciam hic integrum subijcere operæ pretium duxi. Ita habet in edit. Romæ facta in typographia Collegij Societatis Jesu an. 1585. cujus unum asservatur exemplum in Bibliotheca Collegij ejusdem Societatis Lovanij.

LECTORI.

92. *De omni studiorum ratione disseruêre sex Deputati Patres* (hi autem fuerunt, ut habetur in eodem libello pag. 4. paulò post præfationem, Joan. Azor, Gaspar Gonzales, Jac. Tyrius, Pet. Busæus, Ant. Guisanus, Steph. Tuccius) *quæ ad rem maximè facere arbitrati sunt. Visum est tamen* R. P. *Preposito Generali* (is erat C. Aquaviva) *cùm hoc opus arduum sit, & in publicam totius Societatis utililitatem instituatur, quo & æquioribus animis excipiatur, & perpetuâ fidelitate conservetur, nihil firmiter desinire, priusquam omnium Provinciarum Doctores nostri, quid de totâ re arbitrentur, exponant. Hoc itaque Volumen Deputatorum Patrum operâ confectum typis jussit excudi, non ut tanquam planè constituta jam res induceretur in mores, sed quo expeditiùs multa suppeterent exempla, quæ in omnem Societatem dimissa, sicut à Romano Collegio dijudicata sunt, ita & à Provintiarum Doctoribus recognoscantur. Qui postquam Romam rescripserint, quæcumque de totâ re senserint*

ſerint, tandem à Reverendo P. Generali, auditis Provinciarum ſententiis, quid optimum factu ſit, decerneretur.

93. Ex his manifeſtum eſt deceptum eſſe, aut decipere voluiſſe Gonetum: cùm, ut patet, hic libellus nunquam fuerit, ut confidenter aſſerit, *pro regulâ Lectoribus omnibus Societatis traditus:* ſed ſolùm (ut rectè Annatus, qui hunc libellum in ipſo Collegio Romano, ubi editus eſt, accuratè examinavit) *propoſitus per modum deſignationis, aut interrogationis, quâ quæſitum eſt quid hâc in re ſentirent omnes totius Societatis Doctores*, quorum reſponſo à P. Generali accepto, ſuppreſſus eſt libellus hic ab adverſarijs perperam citatus, & alius editus qualis hodie extat cum hâc inſcriptione, *Ratio ſtudiorum*, in quo ad rem præſentem pertinens ſolùm habetur pag. 48. regul. 2. Profeſſoris Theolog. Scholaſticæ, *ut Patres Societatis ſequantur in Scholaſticâ Theologiâ doctrinam S. Th. non ſic tamen Sancto Th. adſtricti eſſe debent, ut nullâ prorsùs in re ab eo recedere eis liceat, cùm illi ipſi, qui ſe Thomiſtas maximè profitentur, aliquando ab eo recedant.* Et inf. *Ergo de Conceptione B. Mariæ, ac de ſolemnitate votorum ſequantur ſententiam, quæ maximè hoc tempore communis eſt.*

94. 2. Dicit Gonetus (in quo committit novum errorem pejorem priore) eo in libello §. *De opinio-*

opinionum delectu, haberi: *in Theologiâ, S. Thomæ doctrinam nostri sequantur, exceptis paucis:* inter quæ pauca, inquit Gonet. *istam D. Th. sententiam recenset: Deum primum influere in causas secundas, & eas ad suas operationes prius movere.* Hic Goneti fidem appello, & quæro quâ fide, quâve intentione referat hæc paucula ab alijs avulsa, cum quibus sensum faciunt longè alium ab eo, quem intendunt, & parùm fideliter nobis obijciunt adversarij. Quod ut omnibus palam fiat, fideliter subjungo sequentia, quæ in dicto libello habentur regulâ 5. *In Theologiâ doctrinam S. Th. nostri sequantur exceptis paucis, quæ licet sint aut videri possint esse D. Th. quia tamen contraria, & sine periculo, & valdè probabiliter defendi possunt, si quis hæc docere velit, conniveant superiores ad ingeniorum excitationem, & accuratiùs veritatis examen. Nostri itaque non cogantur defendere quæ sequuntur*, nempe n. 1. *Theologiam vel esse scientiam univocè cum scientijs naturalibus, vel univocè subalternari scientiæ Beatorum.* n. 4. *Prævidere Deum futura contingentia in eorum reali coëxistentiâ cum suâ æternitate* &c. Et n. 6. *Secundas causas esse propriè & univocè instrumenta Dei, & cùm operantur Deum in in eas primùm influere, aut eas movere* &c. Si advertisset Gonetus, aut de industriâ non dissimulasset hæc verba, *quæ licet sint, aut videri possint esse S. Th.* nunquam ausus

ſus fuiſſet adeo confidenter aſſerere ; *Deniquè prædeterminationem phyſicam eſſe de mente S. Th. apertè tradit libellus de ratione ſtudiorum* &c. Nimis enim evidens eſt quod de varijs ſententijs , inter quas mentio fit ſententiæ prædeterminantium , dicere : *quæ ſint aut videri poſſint D. Th.* non ſit (ut aſſerit Gonetus) *apertè tradere prædeterminationem phyſicam eſſe de mente D. Th.*

95. Deinde cùm nequidem ipſi prædeterminatores, ſaltem plerique, admittant *cauſas ſecundas eſſe propriè & univocè inſtrumenta Dei*, certum eſt Patres iſtius libelli conſcriptores non intendiſſe *tradere id eſſe de mente S. Th.* hoc enim nimis apertè repugnat D. Angelico q. 24. de verit. a. 1. ad 5. ubi dicit mentem humanam eſſe inſtrumentum Dei non *propriè*, ſed *magis communiter.* Quare fateri debet Gonetus ſe libellum à ſe citatum de ratione ſtudiorum nunquam vidiſſe, vel certè ægrè ſe purgabit à voluntariâ deceptione.

Atque ex his patet ſimiliter falſum eſſe Didac. Alvarem To. 2. l. ultimi reſponſionum c. 1. n. 9. ubi ait : *quod attinet ad Molinam , & alios ejuſdem familiæ Doctores , non eſt mirum quod illam ſcientiam mediam defendant ; ſiquidem in ſuo libro de ratione ſtudiorum id præſcriptum fuit illis , nec audent docere contrarium.* Ubi quæſo hoc præſcriptum fuit? Certè regula 8. quâ præcipuè nituntur hujuſmodi

modi vanæ adverſariorum narratiunculæ, nullam præcepti ſpeciem continet, ſed meram permiſſionem his vocibus clarè expreſſam *conniveant ſuperiores, &c. noſtri non cogantur, &c.*

96. Quamvis ex hactenus dictis ſatis conſtet omnes Societatis DD. prædeterminationes, ut D. Angelico contrarias, repudiare; viſum eſt tamen operæ pretium hic eorum attexere ſyllabum, qui vel ſpecialibus tractatibus ex profeſſo, vel ex occaſione, in terminis tamen diſertè docuerunt prædeterminationes phyſicas eſſe à mente D. Angelici prorsùs alienas. Ut nempè hâc ratione irrefragabiliùs falſitatis convincantur ij, qui non dubitant aſſerere PP. Societatis, ſaltem pleroſque, eoſque præcipuos ingenuè fateri ſe in hâc controverſiâ recedere à doctrinâ S. Th. quod quàm ſit à veritate alienum, me tacente clamant Petrus Fonſeca primus ſcien. med. illuſtrator to. 3. metaphyſ. l. 6. c. 2. q. 5. ſect. 10. §. *porrò*, & §. *mirum*, ubi ſic ſcribit: *mirum mihi admodum videri ſolet, quod non deſint qui D. Thomæ audeant oppoſitam ſententiam* (nempè prædeterminantium) *adſcribere.* Ludovicus Molina ſup. n. 25.

Doctorum Societatis meritò celeberrimus P. Franc. Suarez 1. metaphy. diſp. 22. ſect. 2. n. 7. ubi ait: *ſolet hæc opinio* (nempè de concurſu prævio)

vio) *tribui D. Th. locis inf. citandis; sed immeritò ut ostendam.* Deindè n. 47. & seqq. explicat varias D. Th. locutiones, in quibus frustra nituntur adversarij suam fundare doctrinam. Demum n. 52. ita concedit S. Thomam q. 3. de poten. a. 7. prædeterminationi, sub nomine virtutis instrumentalis, favisse, ut addat: *existimo tamen S. Th. tacitè retractasse illam doctrinam 1. p. q. 105. a. 5. & 3. cont. Gent. c. 70. ubi illius virtutis instrumentalis non meminit.* Deindè quod tum ibi tum 1. de auxiliis concesserat, re postmodum meliùs examinatâ, retractavit l. 3. de auxil. c. 38. n. 15. & seqq. ubi locum illum obscurum articuli 7. doctè explicat de applicatione per concursum in actu 2. sicut sup. n. 16. 19. attigi præterea in opusc. l. 1. c. 6. n. 2. & c. 11. n. 4. & seqq. docet S. Thomam nusquam meminisse prædeterminationis physicæ; sed doctrinam ei planè contrariam tradere: uti & c. 14. n. 10. l. 3. c. 12. n. 3. & alibi sæpiùs. Denique S. Thomam à nobis contra prædeterminatores stare fusè docet p. 1. de grat. prologom. 2. c. 6. p. 2. de gra. prologom. de scien. med. c. 6. l. 3. c. 38. 44. 49. & l. 5. c. 49. ubi ostendit 1. S. Th. supponere scientiam mediam. 2. Non admittere concursum prævium physicè prædeterminantem in causis naturalibus. 3. Nec in causis liberis. 4. Ne-

que

que ad actus malos. 5. Neque ad supernaturales. Greg. Valentia in disputationibus coram Pontifice, ut constat ex dictis sup. n.

Didacus Ruiz in PP. & antiquorum Scholastic. scriptis versatissimus de scien. Dei disp. 33. sect. 7. disp. 49. sect. 2. 3. 4. disp. 50. sect. 2. 6. disp. 67. sect. 2. 3. docet S. Thomam prædeterminationem physicam evertere, & scientiam mediam stabilire, idque copiosissimè ac eruditissimè probat ex omnibus ferè D. Th. operibus, quod ex antiquioribus ejus discipulis confirmat disp. 49. sect. 6. Item de voluntate Dei disp. 27. sect. 2. n. 6. & seqq. disp. 28. sect. 3. & 5. disp. 29. sect. 2. ubi fusè ostendit prædeterminationem ad materiale peccati repugnare principijs S. Th. & sect. 3. etiam antiquorum, & quorumdam recentiorum ejus discipulorum doctrinę. Bellarminus sup. n. 9. & 10. Hier. Fasol. idem luculenter tractat plurimis D. Th. testimoniis pro scien. med. contra physicam prædeterminationem allatis, aliisque in contrarium explicatis. to. 2. in 1. p. q. 14. a. 13. n. 157. 166. 175. 315. & aliis locis accuratè citatis in indice rerum verbo *S. Thomas*.

Leonar. Lessius disp. Apologeticâ, de grat. efficaci, c. 5. n. 12. c. 14. n. 1. & seqq. Petrus de Arrubal 1. p. disp. 42. c. 2. 3. 4. 5. Jac. Granad.

nad. 1. p. tr. 5. in a. 14. q. 14. disp. 3. sect. 2. n. 16. Valentinus Hericé 1. p. tr. 2. disp. 19. n. 11. & a. 8. ante istam disp. Diego Alarcon 1. p. tr. 2. c. 5. n. 10. Joan. Præposit. 1. p. q. 22. a. 4. dub. 2. §. 2. n. 31. ad object. 2. & dissertatiunculâ de scient. condition. dub. 1.

97. Tannerus tom. 1. disp. 2. q. 11. dub. 1. n. 28. ubi illud Sancti Th. 1. p. q. 105. a. 5. *Deus movet res ad operandum* explicat de conservatione & concursu in actu secundo, ut sup. n. 16. 19. Addit *etiam posse intelligi de motione extrinseca & remota, quatenus nimirum Deus non solùm assiduè dat esse, & vim operativam causæ secundæ; sed simul etiam omnes alias conditiones ad agendum prærequisitas, vel applicationes, seu motiones etiam locales, quę ad illam actionem antecedunt, efficit, ut Suar. l.* 1. *de concursu Dei, a.* 15. *n.* 7. n. autem 35. ad locum S.Th. q.3. de poten. a.7. respondet ut Suarez sup. n. 96. Franc. Albertinus in qq. Theologicis, q.2. Theologicâ in 2. corrolarium ex 4. principio Philosophico, n. 24. pag. 286. & q. 4. Theol. in 4. corol. ex 4. principio Philosoph. d. 1. n. 16. pag. 296.

Ioan. Martinez de Ripalda to.2. disp. 104. sec. 5. n. 38. 43. sect. 6. n. 45. sect. 7. n. 60. & totâ sect. 8. in quâ prędeterminationem physicam non vitalem alienam esse à mente D. Th. multis probat,

bat, idque etiam authoritate Thomistarum Francisci Araujo, Gonsalui de Albeda, qui 1. p. d. 58. sect. 3. conclus. 2. in eandem D. Th. interpretationem adducit Caiet. Capreol. Ferrar. Conrar. Sot. Medin. Zumel. Curiel. & alios.

Claudius Tiphanus l. de ordine, deque priori & posteriori c. 64. ubi ostendit S. Th. nunquam fuisse in prædeterminantium sententiâ, *nulla*, inquit, *Scripturæ vel SS. PP. authoritate, nulla ratione speciem ullam probabilitatis habente subnixa*, cujus verba ita refero, ut censuras improbem sicut sup. n. 6. Theophilus Raynaudus in novâ libertatis explicatione, p. 2. c. 3. n. 21. ubi S. Th. stare contra prædeterminationem physicam probat ex præcipuis S. Th. Discipulis, Dom. Soto, Caiet. Capreol. Wald. & n. 22. S. Th. explicat, & varia ejus testimonia pro se allegat. Franciscus Annatus de scient. med. disp. 4. c. 2. §. 2. ubi demonstrat scientiam mediam à D. Thomâ armari mucrone illo, quo Salmanticenses & Ioannes à S. Th. inaniter jactitant *manifestè jugulari*. Iul. Recupitus de Deo to. 2. q. 20. c. 2. n. 4. c. 3. n. 16. item q. 21. n. 1. & q. 28. c. 4. n. 16. Franc. Vekenus de Deo disp. 18. c. 2. n. 6. Paulus Leonardi, id est Paul. Leonardus Sherlogus l. responsionum ad expostulationes contra scien. med. p. 2. sect. 10. n. 44. 46. 47. 48. 49. 50.

Bernar-

Bernardus Aldrete 1. p. to. 1. disp. 28. sect. 6. tit. *Doctor Angelicus propugnavit scientiam mediam.* Item sec. 7. 8. & seqq. Sforsia Palavicinus l. 2. Philosophiæ c. 5. n. 416. & seq.

Martinus de Esparsa in quæstionibus de Deo Romæ editis, approbante F. Raymundo Capisucco Ord. Prædic. Sac. Palatij Magistro, docet q. 18. a. 10. *decretum conditionatum Dei absolutè existens pro scientiâ divinâ contingentium conditionatè futurorum, non modò nullum habere fundamentum positivum directum, vel indirectum in doctrinâ D. Th. ut agnoscit Araujo, verùm etiam repugnare S. Doctori.* Quibus similia habet ibidem ad 6. Franc. Suarez junior de animâ tr. 6. de voluntate disp. 2. sec. 4. §. 5. Petrus Galtruchius institutionis Physicæ disp. 4. c. 4. cui titulus, *Doctrinam Bannis & Alvaris non esse D. Th.* Ricard. Lynceus l. 4. Physicorum tr. 8. c. 5. n. 24. & 27. Gabriël de Henao empireologiæ p. 1. præloquio 9. & in scien. med. historicè propugnata, eventil. 12. & 15. Thomas Comptonus 1. p. disp. 23. sect. 2. n. 5. Matthias Borrull de scien. med. disp. 8. sect. 1. & 2. Iosephus Requesenius in 1. 2. l. 2. disp. 12. sect. 2. n. 59. §. venio ad S. Th. *cujus præsidium ambitiosè quidem sed inutiliter quærunt prædeterminantes* Bernaldus de Quiros de Deo p. 14. ar. 13. pag. 606. n. 138.

 Anto-

Antonius Perez to. 1. p. 1. disp. 3. c. 4. §. 6. ubi ait: *non potest dubitari sententiam prędeterminantium esse expressè contrariam* D. *Th. hìc q.* 14. *a.* 12. & tamen Fr. Clemens Blasius Dominicanus jussu Capisucci ex eodem ordine Magistri Sac. Pal. hanc de Peresij doctrinâ censuram dedit: *omnia tanti viri illustrata sapientiâ, quam elapsis annis admirata est Roma, recipiens dignissima typorum luce dijudico. Cui censuræ subscribit Capisuccus.* Ex quibus vides mi Lector immeritò hìc offendi Thomistas, cùm subindè ponitur in Thesibus, quod in libris ab illustri Thomistâ, M. Sacri Palatij, cum laude approbatis adeò expressâ & indubitatâ certitudine asseritur, nempè *prædeterminationem phys. repugnare S. Thomæ.* Quod etiam demonstrat solida ratiocinatio Luisij Turriani 1. p. selectarum, disp. 39. d. 2. pag. 224. *ubi* (inquit) *est dubia & ambigua mens S. Thomæ, de qua* (ut hìc ex dictis sup. n. 50. & seqq.) *etiam inter Thomistas est quæstio, consentaneum rationi est, ut sicut Thomistæ possunt variè explicare S. Thomam, id etiam possint Doctores Societatis, qui possunt explicare mentem Augustini, Hieronymi, ergo etiam S. Thomæ, quod planè cedit in honorem D. Angelici, cùm præsertim ad id non sint obligati. Non desunt tamen, qui dicant everti doctrinam S. Thomæ, si non explicetur, sicut ab ijs, qui se Thomistas profitentur, hoc tamen*

non

non probant, nec probare possunt, quia ubi non est clara, sed dubia ejus mens, & ideò doctissimis Ordinis S. Dominici magistris licet illam variis modis explicare, non est cur idem non liceat viris aliarum religionum sapientissimis. Neque enim Thomistæ habent infallibilem authoritatem in explicandâ mente S. Thomæ. Etiam variæ sunt DD. Catholicorum sententiæ circa mentem Augustini, nec propterea dicitur ejus doctrina everti.

Denique omnes Societatis DD. nullo quem sciam excepto, prædeterminationem physicam reijciunt ut superfluam, libertati noxiam & D. Thomæ contrariam.

§. IJ.

Varij DD. ex quovis ordine prædeterminationem physicam aversantur ut D. Thomæ repugnantem.

98. NEc solùm DD. Societatis, sed & plerique alii prædeterminationis physicæ adversarii cujusvis ordinis Ecclesiastici, sive sæcularis, sive regularis, eam disertè reijciunt ut D. Tho. contrariam. Quod certum est de Gonzale de Albelda 1. p. disp. 59. n. 4. sic loquente

(apud Annat. de ſcien. med. diſp. 4. c. 4. §. 2. n. 115.) *mirum eſt quòd Reverendiſ. Alvarez ex unâ parte fateatur ſæpiùs, Deum ſolùm concurrere ad actum peccati ut univerſalem motorem per concurſum generalem, ex aliâ verò parte aſſerat Deum concurrere producendo in voluntate qualitatem phyſicè præmoventem, & inclinantem efficaciter illam determinatè, & per ſe, ac directè ad talem actum hîc & nunc. Hæc enim duo inter ſe non videntur cohærere. Vnde primum ex mente D. Thomæ dictum eſt, non verò ſecundum*, hoc autem ſecundum (inquit Annat.) eâ ratione quatit, quòd *videatur ſequela manifeſta, Deum eſſe authorem peccati.* Ibidem ex mente D. Angelici diſp. 58. ſec. 2. n. 10. impugnat (teſte Annat.) *Iuniores Thomiſtas, quòd eorum ſententiâ deſtruatur libertas, nec ſalvetur veritas definitionis Tridentinæ.*

Idem conſtat de Thomâ Turco, Araujo aliiſque Dominicanis contra prædeterminationem phyſicam ſup. n. 50. & ſeqq. productis, quam non poſſunt rejicere, niſi ut alienam à mente S. Th. cujus ſenſui ſe in omnibus conformare profitentur, & per ſui ordinis ſtatuta tenentur. Ex aliis autem permultis paucos ſubjicio.

Alphonſus de Mendozâ Auguſtinian. in qq. Quodlib. q. 7. Scholaſticâ n. 13. concl. 5. ait: *Thomiſtas qui ſcientiam futurorum liberorum ſub conditione*

ditione in decretis prædefinitivis independentibus à prævisione usus liberi arbitrij, & ante determinationem causarum inferiorum collocant, Scoto potiùs adversario suò, quàm proprio agonothetæ D. Th. adhærere. Ita refert Paul. Leonar. p. 2. n. 49. apud quem eodem num. etiam M. Lorca to. 2. disp. 20. de gra. membr. 1. §. *& quidem* docet opinionem physicè prædeterminantium *longè esse à mente Angelici D. idque testari gravissimos Thomistas Caiet. & Conrar.* & 3. p. q. 1. a. 3. disp. 10. memb. 2. n. 26. citato S. Thomâ, subjungit: *ex quibus S. Th. verbis constat præscientiam illam, quam dicit supponi ad prædeterminationem, non esse simplicis intelligentiæ, nec visionis, sed scientiam, quam vocant mediam, quæ ex hoc loco S. Th. manifestè adstruitur.*

Zumel 1. p. q. 22. a. 4. in append. ad dub. 1. q. annexum in 2. edit. factâ & ab authore recognita an. 1590. dicit sententiam docentem Deum prædefinire ac prædeterminare actum peccati esse contra D. Th. de verit. q. 2. a. 2. quibus similia habet 1. 2. q. 111. ar. 3. & var. disp. to. 1. tit. *de modo quo Deus cognoscit futura libera* concl. 1. vers. *offert* pag. 14. edit. Lugdun. an. 1609. & to. 3. pag. 209. Mascarenhas de gratia disp. 2. par. 7. per totam à pag. 209. ad pag. 223.

Pennottus in propugnaculo libertatis l. 3. c. 29.

n. 1. Petrus à S. Joseph in Concordià suavi, & alijs operibus, ac præsertim in defensione S. Th. ubi disp. 1. sect. 8. n. 4. dicit: *Scientiam mediam esse ad mentem S. D. dubitari non potest.* D. de Ville Vicar. Gener. Eccles. Lugdun. in approbatione defensionis S. Th. jam citatæ, quam ait, *Appositissimè conscriptam esse ad depellendas maculas, quibus aliqui Solem Theologicæ Scholæ S. Thomam infuscare perperàm satagunt.* Franc. Diotallevius Episc. S. Angeli, Opusculorum Theologic. p. 2. de scient. conditionatâ, c. 5. tit. *Quarta probatio*, pag. 184. ex professo demonstrat nostram de scient. med. sententiam esse D. Th. varijs locis, & quidem manifestè p. 3. q. 1. a. 5. ad 2. cujus, & Augustini verba, ex c. 10. de bono perseverantiæ, à D. Angelico ibi allegata, ubi protulit, subjungit: *Hæc S. Thomas: ex quibus in ipsius, ac Aug. sententiâ, clarissimè ostenditur scientia divina contingentis, sub conditione futuri, ante quodcumque ipsius Dei decretum.*

M. Fr. Martin. Albiz Augustinian. Primarius Complutensis in Cathedris Scoti & D. Th. 1. p. tr. 1. de scient. Dei, disp. 7. sect. 1. §. *S. Thomas*, productâ ejusdem authoritate 3. p. q. 1. a. 5. ubi D. Angelicus Augustinum citat, subinfert: *fuit ergo S. Aug. & D. Th. in hâc sententiâ*, scilicet adstruente scientiam mediam, ita Paulus Leonardi

nardi p. 2. n. 50. M. Franc. de Cornejo ex eâdem Augustinianâ Eremitarum Familiâ in Salmanticensi Universitate Primarius Theologiæ Antecessor de scient. Dei, disp. 5. dub. 3. sub init. agens de sententiâ scientiam med. tuente ait, apud Leonar. sup. n. 41. *Et sanè non video, quam ob causam Thomistæ voluerint isti sententiæ tanto conatu obsistere, siquidem neque D. Thomas adversatur, quin imò in ipso non leve habet fundamentum, ut mox ostendam, & in D. Aug. magnum, ferèque irrefragabile, & quod caput est, in Sacrâ Scriptura minimè contemnendum.*

Daniel à S. Joseph inf. cap. 3. §. 3. Franc. Bonæ Spei sup. n. 48. reijcit *ut superfluam, & D. Th. repugnantem.* Alex. Pezantius 1. p. q. 19. a. 8. disp. 2. ad 1. & 1. 2. q. 80. a. 1. disp. 1. sententiâ 9. nostram doctrinam contra prædeterminationes tuetur ut D. Thomæ repugnantem. Joan. Wiggers Doctor ac Professor Lovanien. 1. p. q. 22. a. 4. n. 54. 55. & 67. rejicit prædeterminationem ut libertati noxiam, idque ex mente S. Th. 1. p. q. 19. a. 8. O. q. 23. a. 1. ad 1. q. 26. a. 5. ad 1. & q. 116. a. 1. 3. & 4.

Ludov. Caspensis Definitor totius Ordinis Capucinorum to. 1. tr. 5. de Providentiâ disp. 2. sect. 3. n. 22. probat authoritate S. Th. prædefinitiones antecedentes, præscientiam futurorum

contingentium tam absolutam quam conditionatam *manifestè repugnare libertati creatæ*. Ludovic. à Dolâ de modo conjunctionis concursuum Dei, & creaturæ p. 4. c. 3. n. 2. ubi cùm Petro à S. Joseph probat ex 1. 2. q. 11. a. 6. ad 3. & q. 10. a. 4. O. S. *Doctorem non stetisse à partibus qualitatis aut motionis physicè prædeterminantis.* Smising de Deo tr. 3. disp. 2. q. 4. n. 78. Isacus Habert sup. n. 41. Gervasius Gijonius ibidem. F. C. de la Haye Prior Claustralis Monasterii novi Pictaviensis Ordinis S. Benedicti, S. Theol. Doctor Parisiensis in approbatione Defensionis S. Augustini per Petrum à S. Joseph, cujus opinionem de gratiâ non necessitante nec physicè prædeterminante dicit esse *ad mentem S. Augustini* & consequenter S. Thomæ. Unde ait: *cùm longè majoris consolationis, ædificationis, & fiduciæ sit hæc præsens sententia, quam opposita lubens, & volens ei subscribo.* Cui cùm simili approbatione etiam subscribit Fr. Joan. le Petit S. Theol. Doctor.

99. Confirmatur authoritate Durandi, ex quo, argumento quidem negativo, efficaci tamen Colligo, nullum prædeterminationis physicæ vestigium in D. Thoma ejus tempore fuisse deprehensum. Ait enim Durand. 2. dist. 24. q. 2. post med. *in posse applicare intellectum & voluntatem, vel applicationem aliorum impedire habemus liber-*

libertatem respectu actuum nostrorum sequentium. Ibidem 2. dist. 1. q. 5. in fine docet quòd Deus nullo modo, adeoque nec prævie, nec simultaneè concurrat immediatè ad actionem seu effectum causæ 2. his verbis: *non oportet quòd Deus ad actionem causæ 2. immediatè cogat: sed solùm mediatè conservando naturam & virtutem causæ 2.* Idem inculcat 2. dist. 37. q. 1. ante med. *Actio non debet imputari agenti nisi secundùm quod ab ipso procedit: sed actiones liberi arbitrij non procedunt à Deo, nisi secundùm indifferentiam ad bonum & malum &c. Mi. probatur; quia Deus non est causa actionum liberi arbitrij; nisi quia ab ipso est liberum arbitrium, & conservatur: sed liberum arbitrium in esse conservatum, adhuc est indifferens ad eligendum actum bonum vel malum, nec determinatio ejus ad malum est à Deo, ergo actiones liberi arbitrij non possunt Deo imputari, secundùm communem cursum, nisi secundùm indifferentiam ad bonum & malum. Dico autem secundùm communem cursum; quia forsan Deus ex beneplacito suo liberum arbitrium inclinat ad bonum, nunquam tamen ad malum.* Ex quibus manifestum est Durandum concursum prævium physicè prædeterminativum non solùm non admisisse, dum dixit: *Deum non esse causam actionum lib. arbitrij, nisi quia ab ipso est lib. arbitrium,* sed nec agnovisse, cum ibi accuratè expendens

mo-

modos, quibus actiones causæ 2. ac nominatim liberi arbitrij dici possunt à Deo, nullam prorsùs faciat mentionem concursus prævii, sed mediati dumtaxat & simultanei, hunc reijciendo, illumque solum admittendo. Unde infero Durandum, qui floruit annis 46. post mortem D. Thomæ, in ejus operibus non deprehendisse concursum prævium, nec ullum istius ævi Thomistam de eo S. Thomam interpretatum fuisse; alioqui enim; cùm res & locus ita exigeret ad tradendam doctrinam non mancam; de eo indubiè egisset Dur. vel illum amplectendo ad suam de concursu mediato sententiam firmiùs stabiliendam, vel illum, sicut alia non pauca D. Angelici placita, tanquam inutilem respuendo, quod tacitè fecit, dum asseruit sufficere, *quòd Deus actionem causæ 2. coagat mediatè conservando hujus naturam & virtutem.*

100. Ex his vides Lector benevole *S. Thomam* gravissimorum & sapientissimorum virorum judicio non *jugulare* (ut vult Sebille interpretis Thomistici l. 3. c. 1. sec. 5. pag. 221.) sed tueri ac fovere *dogma Molinæ*: & P. Fr. Dominicum à S. Theresia Carmel. Discal. t. 2. tr. 10. disp. 2. dub. 2. §. 1. falsò dixisse: *disputatione non eget in Schola SS. Aug. & Thomæ, quòd voluntas creata, sicut & quælibet causa secunda, in omni suâ operatione*

tione omnino à Deo physicè præmoveatur &c. Hæc ubi, eventil. 9. n.284. edit.2. retulit Henao, *huic*, inquit, *authori gratulor de tantâ rerum harum luce cælitus potiùs quàm humanitus comparatâ. Cum Dominicani & Iesuitæ ab an. 1594. ad hodiernum usque diem æquè de S. Augustini, & D. Angelici mente ac de re ipsâ contenderint.* Neque, ut ex hactenus citatis patet, pauciores sint ignobilioresve Doctores, qui Jesuitis, quam qui eorum adversariis SS. Aug. & Thomam tribuant. Dicere autem (quod nuper Thesibus impressis asseruit quidam Thomista) tot doctrina, virtute, & Ecclesiasticâ dignitate præcellentes viros à n. 98. ad n.100. pro nostra opinione adductos *S. Th. non legisse, aut non intellexisse, aut intelligere noluisse*, non videtur posse excusari ab injuriâ viris gravissimis temerè irrogatâ.

Cæterùm hinc patet immeritò Hieron. Vives Dominican. in ipso sui lib. vestibulo contra scien. med. Theologos Societatis vocare *Antithomistas* cùm in hâc controversiâ, in quâ *maximè* à plerisque Dominicanis dissident, cum multis ex quovis ordine etiam Prædicatorum illustribus viris profiteantur se D. Th. doctrinam sequi, ut & in cæteris passim, tantâ sinceritate, & D. Angelici observantiâ, ut eos *Thomistas* simpliciter appellet Montepilosus Franciscanus 1. p. to. 2.

disp.

disp. 31. a. 2. n. 9. apud Henao n. 559.

Et meritò ita appellat: Cùm ut notat Luis. Turrianus select. disp. 39. d. 2. pag. 224. in plerisque Europæ, imò & Indiarum Universitatibus Societatis DD. ac Lectores fuerint primi (saltem extra Scholas Ordinis S. Dominici) qui in suis prælectionibus publicis, Thesibus ad disputandum propositis, ac libris editis S. Thomæ doctrinam ac methodum secuti sint. Satis constat ex dictis de Bellarm. sup. n. 15. Societatis Professores Lovanii S. Thomæ summam suis in Scholis explicuisse an. 1572. & non diu post hîc Duaci, multis annis priùs, quàm in Regiis hujus Academiæ Scholis, in quibus (inquiunt quidam è senioribus hujus Universitatis) usque ad annum hujus sæculi, 12. aut 13. viguit consuetudo, ante Societatem ubique passim recepta explicandi Magistrum, quem præclarum Duacenæ Academiæ lumen, eximiæ ac sanctæ memoriæ D. Guilielmus Estius doctissimis illustravit Commentariis, anno hujus sæculi 15. ad magnum reipublicæ literariæ bonum, in lucem editis.

CAPUT

CAPUT IIJ.

Scientiæ mediæ ſplendidiùs illuſtratæ ortus, oppugnationes, victoriæ, defenſores.

§. J.

Scientiæ mediæ ortus, pugnæ, & victoria in Hiſpaniâ, & Belgio.

101. SCientiam mediam à SS. Aug. & Th. (& conſequenter ab omnibus antiquis) variis locis ſuppoſitam, ac implicitè & quoad rem evidenter admiſſam; nunquam tamen (rebus id non exigentibus) tractatu ſpeciali explicatam, nec adeo apertè pro libertate creatâ cum divinę prædeſtinationis & gratiæ efficacitate conciliandâ ad uſum redactam, primus fusè ac dilucidè explicavit, ſuisque diſcipulis tradidit, ac illius uſu gratiæ efficaciam cum arbitrii libertate, minori difficultate, quàm aliis viis conciliari poſſe demonſtravit P. Petrus Fonſeca Societ. JESU Luſitanus an. 1566. ut ipſemet teſtatur tom. 3. Meth.

Meth. lib. 6. cap. 2. q. 4. sec. 8. §. 1. primus inquam tradidit non ut novam quoad rem, sed (ut ibidem notat §. 4.) solùm quoad speciem & explicationem fusiorem ac magis ex professo. Unde sec. 6. post med. ostendit eam in Scripturis quoad rem contineri, & à PP. & Antiquis Scholasticis passim supponi & approbari. Ex quibus habes errasse Thiphanum lib. de Priori c. 24. n. 4. dum asseruit *ante Molinam de eâ scientiâ neminem cogitasse ne quidem per somnium.*

102. Molina enim explicatiorem de scientiâ mediâ doctrinam non primus tradidit, sed à suo Magistro Petro Fonseca acceptam suis lucubrationibus illustravit, ac in suâ concordiâ primus typis vulgavit an. 1589. hanc Molinę concordiam & doctrinam in eâ contentam, *ut valdè dignam quæ in publicam totius Ecclesiæ utilitatem excudatur* approbavit *Bartholom. Ferreira Dominicanus Sanctæ Inquisitionis deputatus, & librorum Censor* verbis ipsi concordiæ præfixis, quibus Molinam multis extollens laudibus appellat *Eruditissimum Doctorem & S. Th. expositorem.*

Hanc porrò Molinæ doctrinam celebrem reddidit & pluribus victoriis gloriosam pertinacissima validissimorum adversariorum oppugnatio sæpiùs repetita. Primùm enim necdum typis vulgata, sed in publicis dumtaxat prælectionibus disci-

discipulis tradita, agente præsertim Dom. Bannez, ejusque Collegis tracta fuit ad sacrum tribunal Inquisitionis Lusitaniæ, & de multis erroribus accusata. Sed, post maturum examen, ab omni erroris suspicione à sacrâ inquisitione absoluta & perhonorificâ approbatione ornata primam eamque nobilem de suis adversariis scien. media retulit victoriam: quali videlicet triumphat civitas, dum hostium impressionibus generosè repulsis, obsidione solvitur. Hujus autem victoriæ testem habemus, omni exceptione majorem, Serenissimum Archiducem Albertum tunc Lusitaniæ proregem, ejusque Inquisitionis supremum Præsidem, postmodum Belgii amabilissimum Principem, qui in suis litteris ad Clementem VIIJ. datis 12. April. an. 1599. sic loquitur.

Beatissime Pater, quo tempore Regnum Lusitaniæ, & sanctam ibi generalem Inquisitionem gubernabam, oblati mihi sunt supplices libelli adversùs librum Patris Ludovici Molinæ Societatis JESU *de concordiâ liberi arbitrii cum gratiæ donis &c. & ut in eo negotio maturè procederetur, post communicatam cum Senatu Inquisitionis materiam, datum est Doctori Molinæ transsumptum objectionum factarum contra ejus librum, quibus ille respondit, & ego præcepi, ut tam objectiones quàm responsiones ad eas perlegerentur & exci-*

excuterentur à personis doctis, & gravibus ejus regni; & inter has ab aliquibus Patribus Ordinis Sancti Dominici (hi erant inquit Paul. Leonar. p. 1. sec. 7. n. 29. P. Barth. Ferreira & M. Fr. Joannes de Lascuevas Archiduci Alberto tum à Confessionibus) *à quibus cùm esset compertum, nihil esse in libro quod censuram promeretur, imò potiùs continere doctrinam valdè utilem, sanam, & conformem Scripturæ, Conciliis, & SS. PP. & quod author omnibus, quæ opponebantur solidè satisfaciebat, ut liquet ex decreto ejusdem sanctæ Inquisitionis. His visis facta est copia libri in lucem edendi.*

Consonant litteræ ipsius Inquisitionis Generalis Regni Lusitaniæ ad eundem Clementem VIIJ. 9. Martii an. 1599. datæ in quibus apud Leonar. sup. n. 31. inter cætera habetur: *Cùm igitur in eo libro approbando hujus Concilii authoritas, quæ ex delegatione Apostolicâ existit, interposita sit, ac proindè in libri periculo eadem authoritas aliquo modo periclitetur, visum est oportere, id exponi vestræ sanctitati, prout facimus, humiliter supplicantes, ut jubere dignetur communicari huic Concilio objectiones, quæ ejus libri doctrinam in discrimen adducere videntur; dato nobis spatio congruo ad transmittendam satisfactionem, quæ reddi posse videbitur, nihilque interim contra ipsum librum statuendò.*

103. Quamvis hęc Molinæ concordia à sapientissimo

pientissimo S. Inquisitionis Senatu cum illustri commendatione ab omnibus hostium criminationibus absoluta, gloriosam in Lusitaniæ regno adversùs acerrimas adversariorum impugnationes reportarit victoriam: ibi tamen non stetit ardentissimus adversariorum zelus, sed novo impetu Molinæ oppugnationem instaurarunt, ejusque doctrinam ad Theologicas Hispaniæ facultates, & Sanctæ Inquisitionis tribunalia detulerunt tamquam erroribus scatentem, & censoriâ correctione dignam: sed irrito ut priùs conatu, ac proinde cum novâ Molinæ palmâ.

Quod constat primò ex censurâ ab Universitate Complutensi in favorem Molinæ datâ. Hæc enim sapientissimis viris florentissima Universitas, de mandato Illustrissimi Hispaniarum Nuntii Camilli Caietani, & sacri supremæ Inquisitionis Senatus, Molinæ concordiam an. 1595. examinandam suscepit, eique examini non obiter, sed per annum, magnâ regiorum ejus Professorum diligentiâ, incubuit, ac tandem post adeò serium examen 1. Octob. an. 1596. pronuntiavit sanam & Catholicam doctrinam Scripturæ, Conciliis, Patribus, & Scholasticis consentaneam in Molinæ concordiâ contineri. Hujus autem Censuræ tanti ad Molinæ commendationem momenti Paul. Leonar. p. 1. n. 36.

testes profert omnino irrefragabiles, inprimis ejus temporis Abbatem, & Cancellarium Complutensem Dominum Joan. Neroni in suis litteris 22. Junii an. 1601. datis ad Cardinalem Pompeium Arigonium Romam in hæc verba: *Illustrissime & Reverendissime Domine, cum accepe-rim librum Molinæ de concordiâ imbi in examine positum esse; cumque ex mandato Sanctæ Inquisitionis Hispaniarum à doctissimis viris hujus Complutensis Universitatis magnâ & accuratâ diligentiâ per longum tempus maturo consilio, me præsente, id præstitum sit, non sine libri approbatione; Et adhuc de illo varii rumores sint, operæ pretium duxi Illustrissimam Dominationem Vestram de hâc re certam facere, tum ut pro bonâ æstimatione hujus Academiæ & doctissimorum virorum, qui huic examini interfuerunt, respondeam (quorum placita, si ii, qui nunc librum perlegunt, attenti audirent, non dubito quin libenter acquiescerent) tum maximè ut authoritati & reverentiæ debitæ Sanctæ Inquisitioni, quæ apud omnes in magno pretio debet esse, ut par est, Consulerem.*

Alterum non inferioris notæ testem producit ejusdem Academiæ Rectorem in litteris ad eundem Cardinalem Arigonium eodem tempore datis hoc tenore: *cognovimus minùs probari nonnullis judicium illud, quod hujus Academiæ Doctores de concordiâ P. Lud. Molinæ tulerunt. Quam ob rem & no-*

& nostro honori & dignitati consulueritis, si egeritis ut illud idem judicium, atque censura per doctissimos viros accuratè examinetur, eo modo, quo hîc. Nam censura illa non priùs ab Academiâ lata est, quàm liber ille per integrùm annum diligenter perspectus fuerit ab his, qui aut totius Hispaniæ doctissimi sunt, aut certè inter doctissimos numerandi, idque eo animo atque consilio, ut unam veritatem spectantes sincerè ac severè judicarent. quod, credo, sentient docti omnes, qui similem animum ac diligentiam ad judicandum attulerint. Erit alterum, quod à tuâ Dominatione illustrissimâ obsecremus, ut si quid in illis propositionibus, quæ à nostris Doctoribus judicatæ sunt, ab aliquo desideretur, agat cum suâ sanctitate, ut iterum ad hanc Academiam referantur, ut rationes reddantur singulorum, & sanctorum ac Scholasticorum testimoniis confirmentur &c. Illustrissime ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ servi M. Petrus Ruiz, M. Rector, Doctor Caluo, Doctor Mexino. Ex decreto Rectoris & Collegii M. Eugenius Perez.

104. Constat 2. ex litteris quas M. Fr. Augustinus Antolinez Ord. Eremit. S. Aug. Primarius Academiæ Salmanticensis Professor, ac subindè ad Archiepiscopales Compostellanæ Sedis infulas evectus Salmanticæ dedit 12. Aug. an. 1600. ad R. P. M. Greg. Nunnez ejusdem Ord. Romæ Procuratorem generalem pro Lusita-

niæ Provinciâ, quibus (ut habet Leonardi p. 1. n. 41.) ita scribit: *intelligo de novo tractari in Urbe, ut ad castigationem & censuram revocetur concordia Molinæ, pro quo doleo ejus doctrinam jam in tranquillitate positam novis quassari procellis. Hoc ausim fidenter testari, ejus opiniones in hâc Academiâ, & in hâc nostri Ord. Provinciâ tanto cum plausu admissas, ut vix sit, qui alias vel legat, vel defendat. De me id affirmare valeam, postquam liber Molinæ publicum aspexit, mihi plurimo adjumento fuisse; æquumque esse, ut viri omnes docti libro cunctis tam utili faveant. Et ita vestram Paternitatem obnixè deprecor, ut idipsum faciat, non mei tantùm gratiâ, sed propter omnes, qui studiis impensè vacant.* Et infrà. *Si hinc ad Generale Capitulum profecti essent nostri, ejus opiniones defenderent, quæ quoniam in nostrâ Provinciâ communes sunt, æquè fermè causa nostra est ac ipsius Molinæ.*

105. Constat 3. ex litteris Mariæ Imperatricis ad Clementem VIIJ. Madrito datis 14. Novemb. an. 1598. in quibus (apud Leonar. p. 1. n. 29.) hæc habet: *Ludovici Molinæ librum ex authoritate Sanctitatis vestræ Archidux Albertus filius meus, dum esset supremus in Lusitaniæ regno inquisitor, cum toto sanctæ inquisitionis Senatu, examinavit, ob quorumdam æmulorum instantiam, & reperit criminationes illorum nullius esse momenti, librumque secu-*

securum & Catholicum esse; quod ipsum quoque judicatum est à multis Vniversitatibus, Prælatis, & hominibus doctis Castellæ; quod vestra sanctitas fusiùs percipiet ab Hispaniæ in Vrbe Legato. Plura Paulus Leonar. p. 1. n. 29. & 30. ubi etiam refert litteras, quas Illustrissimus Joan. Borgia ex Regio Portugaliæ Consilio, & Mariæ Imperatricis major domûs maximus an. 1601. 8. Junii Madrito dedit ad Clementem VIIJ. quibus Molinam ejusque doctrinam, ex communi Portugaliæ sensu mirè laudat, & commendat, tum sic concludit: *Licet certus sum Theologos Vrbis, quibus libri* (scilicet Molinæ) *examinandi cura demandata est, tam graves esse, ut metus esse non debeat, quin suo fungantur munere cum integritate, tamen parta his in locis experientia de mediis singularibus, & extraordinariis, quibus hujus Patris hostes usi sunt ad eum persequendum, monere debet, diligenter considerandum eorum delectum, quibus censura commendatur; confido in Deo, & illius speciali assistentiâ cum S. Sede, recturam vestram sanctitatem, ut in negotio tam gravi resoluat, quod magis ad Numinis gloriam, & Ecclesiæ bonum universale conducat.*

106. Quartò denique convincitur ex eo quòd Clem. VIIJ. an. 1594. per supremum inquisitionis Hispaniæ Senatum, & Illustrissimum Nuncium Camillum Caietanum Provincialibus

religionum, S. Dominici, & Societatis JESU mandavit, ut præcipua controversiæ inter eos agitatæ puncta brevi scripto explicata supremæ inquisitionis Senatui, Illustrissimoque Nuncio traderent, & interim de illis, donec aliter statueret Sedes Apostolica, in suis scriptis, disputationibus, aliisque actibus publicis silerent. Ac tandem post illa tum in Hispaniâ, tum Romæ (quò à Nuncio missa sunt) per viros doctissimos à Christi Vicario designatos ferè quadriennio diligenter discussa, decrevit Sanctissimus D. Clem. VIIJ. ut ambarum partium magistri suam liberè de gratiâ, præscientiâ, & prędestinationis efficaciâ cum libertate conciliandâ doctrinam publicè traderent ac defenderent; sic tamen, ut nisi graviter plecti vellent, à notandâ adversâ opinione abstinerent, quod ex mandato supremi Senatûs fidei, ab inquisitionibus Toletanâ, Pintianâ, Valentinâ, Hispalensi, amborum ordinum provincialibus est intimatum an. 1598. ut patet ex litteris ab inquisitione Toletanâ destinatis ad P. Ludovicum Guzman Toletanę Provincię Societatis JESU tunc Præpositum, quæ in eâdem Provinciâ asservantur subscriptæ 15. Mart. 1598. à D. Ant. Morezon & D. Quiroga Licentiatis, & D. Josepho Pantosa Secretario.

107. Hujus decreti meminere (ut refert Paul.

Leonar.

Leonar. p. 1. n. 33. & 34.) Joan. Puteanus to. 1. ad q. 111. 1. 2. dub. 4. his verbis: *Clemens VIII de hâc re consultus fecit potestatem defendendi quamlibet* (scilicet duarum extremè oppositarum sententiarum de auxil.) *modo tamen alteram nullâ notaret censurâ.* Andreas Duvallius to. 1. in 1. 2. tr. de gra. q. 4. his verbis: *cùm à Clem. VIII. DD. examini relicta sit hæc controversia cum moderamine, quâ neutra opinio hæresis, erroris, temeritatis, alteriusve qualificationis arguatur, ab omni asperiori dicto sedulò abstinebimus.* Et Petrus Ledesma in præfatiunculâ ad tr. de auxiliis, ubi ait: *Clem. VIII. propter doctrinæ utilitatem, & necessitatem, Theologis concessit de hâc materiâ disputare, ut constat ex litteris testimonialibus Illustrissimi Cardinalis Madrucij, quas ego vidi: omnibus tamen præcepit ut à notâ & censurâ oppositæ sententiæ abstineant, quod Deo dante ita fiet.*

108. Simili edicto turbas an. 1586. Lovanii excitatas, contra eandem Societatis doctrinam in prælectionibus publicis à Lessio traditam, composuit sub an. 1588. Sixtus V. insignis Theologus, qui Lessii doctrinam, (in qua Lovanienses unam & triginta assertiones gravi censurâ notabant) ut vidit, suam esse dixit, & præcipua ejus capita probavit ut *sanæ doctrinæ articulos*. Quæ verba Calatinus Nuntius Apostolicus suo edicto

an. 1588. 19. Jul. edito inſerenda curavit. Quod edictum authoritate & mandato Greg. XIV. idem Nuncius innovavit, & ad Duacenſem etiam Univerſitatem pertinere declaravit, an. 1591. 18. Jul. eâque edicti iſtius Apoſtolici innovatione, ac pœnarum in eo contentarum interminatione, criminationes, & temerarias quorumdam cenſuras adverſus ſcien. med. & aſſertiones ei annexas non ſine ſcandalo Duaci renaſcentes compreſſit, atque ita Molinæ ac Leſſii doctrinæ pacem, & de adverſariorum impugnationibus, cenſuris & criminationibus victoriam dedit.

109. Ex his autem, quæ fuſiùs vide in imagine primi ſæculi Societatis JESU l. 6. c. 4. apud Paul. Leonar. p. 1. n. 26. 33. 34. p. 3. n. 41. 42. & apud Henao in ſcien. med. hiſtoricè propugnatâ edit. 2. n. 205. & ſeqq. ubi pro iiſdem citat Annat. in ſolutione quæſtionis hiſtoricæ n. 13. & in 1. informatione de 5. propoſitionibus ex Janſenii Theologiâ collectis n. 7. pag. 9. n. 36. pag. 40. Iſaacum Habert Epiſc. Vabrenſem in defenſione fidei c. 14. §. 3. Anton. Moraines in anti-Janſenio diſp. 23. ſec. 4. n. 24. Ex his inquam habes Lector benevole ſcien. med. & univerſam Molinæ doctrinam à criminationibus & cenſuris, quibus temerè petebatur, trium Ponti-

ficum

ficum authoritate Apostolicâ absolutam, & adversùs convitia gravissimarum pœnarum interminatione munitam, de acerrimis impugnationibus, quibus eam obruere nitebantur adversarii in Belgio & Hispania triumphasse, quam victoriam Lessius spectantibus, nec contradicentibus ejus adversariis Lovaniensibus, sibi meritò gratulatur in suâ de gratiâ efficaci & præscientiâ conditionatâ disp. apologeticâ, quam sic orditur: *Orta fuit hic Lovanii, annos ab hinc 22. non modica de providentiâ, auxiliis gratiæ, & eorum efficacitate controversia, quæ authoritate Sedis Apostolicæ, ad quam delata fuit, per Illustris. D. Nuncium Octavium Frangipanium Episcopum Tricaricensem feliciter composita fuit, nostrâ in possessione permanente doctrinâ.* Octavii edictum contra censuras in Lessii assertiones latas, præfixum est defensioni S. Th. per Pet. à S. Joseph, Duaci 2. editæ an. 1664. ubi videri potest.

§. II.

Scientiæ mediæ Oppugnationes & Victoriæ in Urbe.

110. ILli tamen non diuturnas concessêre inducias ejus adversarii, qui ad illam Pelagianismi

lagianiſmi (ut non ſatis conſideratè cenſebant) ream è Scholis Catholicis proſcribendam nihil intentatum relinquere voluerunt. Quare *aſſeclæ Dominici Bannez* (inquit Ripalda to. 2. de ente ſupernaturali diſp. 113. n. 55.) *non acquieſcentes judicio Hiſpanorum, ad ſupremum Romanę inquiſitionis tribunal appellarunt, miſſoque in ſollicitationem cauſæ Legato ſui ordinis, qui (celatis in Hiſpania geſtis) prolixum in doctrinam Molinæ ſcriptum Cardinali Alexandrino dicatum obtulit. Cardinalis pro excutiendâ Molinæ doctrinâ congregationem* 8. *Theologorum à Clemente VIII. obtinuit.*

Cum autem (ut habet Ripalda ibidem n. 56. & ſeqq.) res illa clandeſtinè gereretur non ſolùm inauditis, ſed & inſciis Jeſuitis, cenſores delationi Dominici Ban. nimiùm deferentes primùm 60. Molinæ propoſitiones erroris damnarunt & temeritatis. Quod cum tandem innotuiſſet, Jeſuitis ſupplicantibus ut Molina audiretur, ejuſque defenſio examinaretur, annuit Pontifex; non tamen conceſſit ut prioribus judicibus (quos meritò recuſabant Jeſuitæ) alii ab omni partium affectu liberi ſubſtituerentur, ſed 8. prioribus duos adjunxit. Tum 10. illi judices cenſuram in congregationibus privatis præcipiti (ut eventus docuit) conſilio latam accuratiùs expendentes, ex 60. propoſitionibus antea damnatis, 40. nullâ

nullâ reprehensione dignas pronunciarunt; adeoque statuerunt, ut solum 20. censurâ notatę producerentur in conventum à Pontifice præscriptum.

111. Interim *censurâ Molinæ* (inquit Ripalda n. 59. *in lucem datâ adversarii in Urbe & per orbem canebant triumphum*, sed ante victoriam. Cùm enim Jesuitæ variis Suarii, Vasquezii, Valentiæ, aliorumque Doctorum Theologorum scriptis Pontifici oblatis efficaciter probassent sensum, in quo 20. propositiones à Censoribus fuerant notatæ, esse prorsùs alienum à mente & verbis Molinæ, easque, prout extant in Molinâ, post longum & maturum examen declaratas fuisse probabiles, Catholicas, & omnis censuræ expertes à doctissimis censoribus, ab inclytâ Lusitaniæ & Hispaniæ inquisitione deputatis, ac nominatim à celeberrimâ Complutensi Academiâ: cumque illa scripta decem illi censores designati suæ sanctitatis jussu attentiùs expendissent, omnes censuerunt ex illis 20. propositionibus censurâ notatis eas esse eximendas, quæ voluntati vim tribuebant absque auxilio gratiæ eliciendi actus naturales moraliter bonos. Quoad alias verò pertinentes ad præscientiam conditionatam, & efficaciam gratiæ extrinsecam, variæ fuerunt censorum sententiæ, tribus, etiam illas ab omni

omni censurâ eximentibus, cæteris 7. (fortassis metu notæ levitatis & inconstantię) in censurâ prius latâ persistentibus.

112. *Cernens itaque Pontifex* (verba sunt Ripaldę n. 62.) *Censores in dies variare, lenireque censuram, primoque 60. deinde solum 20. postremò 6. aut 7. tantum propositiones notasse, volensque viâ certiori totius controversiæ veritatem explorare, eique finem imponere*, suppressis, aut certè suspensis omnibus censuris, in privatis conventibus eo usque latis, tandem statuit, ut coram se & Cardinalibus ac judicibus à se designatis, de singulis quæstionis jam diu agitatæ articulis instituerentur disputationes, quibus cum selectis Ordinis sui Doctoribus de re totâ disputaturis interessent P. Generalis Dominicanorum & P. Generalis Jesuitarum.

113. Hę autem celeberrimæ disputationes numero 47. (post aliquot conventus anno 1599. nullo ferè operę pretio coram Cardinali Madrucio eâ de re celebratos) magnâ orbis expectatione inchoatæ sunt die 28. Martii an. 1602. & continuatæ usque ad diem 22. Febru. an. 1606. quo postrema fuit habita. Ex parte Dominicanorum disputare cœpit, P. Didacus Alvarez, in cujus locum suffectus est P. Thomas Lemos. Ex parte verò Jesuitarum primas 9. disputationes sustinuit P.Gre-

P. Gregorius de Valentiâ, cui in morbum lapſo, quo Neapoli extinctus eſt, ſucceſſit P. Petrus de Arrubal uſque ad diſputationem 19. quo denique etiam gravi invaletudine correpto, cæteras abſoluit P. Ferdin. de la Baſtida. Diſputationes 37. habitæ ſunt coram Clemente VIIJ. uſque ad diem 1. Jan. an. 1605. quo è vivis ſublato ſuo initium Martii, decem ſequentes habitæ ſunt coram Paulo V. à menſe Septembri ejuſdem an. uſque ad Februarium ſequentis. His peractis, completa omnium, quæ diſputata fuerunt, cenſura tradita eſt Pontifici (inquit Ripalda diſp. 113. n. 126.) *qui conveniens cum ſolis Cardinalibus eam expendit, & de ſententiâ juxta merita cauſæ ferendâ contulit, ac tandem die* 28. *Aug. D. Auguſtino ſacrâ an.* 1606. *majori melioriq́ue cenſorum parti*, ut ſecundum prudentiæ leges omnino debuit, *adhærens, cum iiſdem Cardinalibus pronuntiavit, ut omnis doctrina Molinæ*, ne uno quidem ejus concordiæ ablato additóve iota, *indemnis conſiſteret, & utriuſq́ue familiæ ſententia in Scholis Catholicis, tutò & impunè doceretur, donec aliud à S. Sede decernatur: eâ tamen lege ut neutra pars alteram cenſuris carpat, injuriiſve laceſſat. Quæ Pontificis ſanctio utrique parti intimata eſt, & ulterior hujus cauſæ proceſſio interdicta.*

Hoc ipſum refert Spondanus ad an. ſalutis

1606.

1606. his verbis: *Paulus V. disputationes de auxiliis conticescere jussit: sanxitque postmodum ut utrisque, dum aliud decerneretur, liberum esset suam sententiam in Scholis modestè tueri, sed sine damnatione alterius partis.* Hoc Pauli V. decretum confirmasse Urbanum VIII. testatur Joan. à S. Th. to. 1. in 1. p. disp. 20. a. 6. n. 1. ubi ait: *& quidem non licere in hac parte alteram partem censurare, aut qualificare ex mandato Pauli V. & Vrbani VIII. constat: nec licere etiam scribere & imprimere in materiâ auxiliorum divinorum ex edicto ejusdem Pontificis iterum roborato, & confirmato à Sanctissimo Domino nostro Vrbano VIII. in congregatione generalis inquisitionis die 22. Maii 1625.* his consonat, Sylvius in præfat. monitoria ad 1. p. S. Th. ubi ait: *sua sanctitas præcepit, ne quis in posterum, oblatâ de prædictis rebus tractandi occasione, contrariam sententiam sustinentes in censuram vocare, vel dictis perstringere ullo modo auderet.*

Hujus autem decreti, à Paulo V. an. 1605. editi, universalis publicatio demandata est (inquit Leonardi p. 1. n. 13.) an. 1607. 5. Septemb. & ab inquisitionibus facta an. 1608. ab Hispalensi quidem, his verbis à Leonar. sup. relatis: *facultatem præstamus ut possint tractare de præfatâ materiâ, & mandamus sub pœnâ excommunicationis majoris, ut nullus audeat censurare contrariam sententiam,*

tentiam, nec utatur verbis mordacibus, quæ malam intentionem animo latentem indicare videantur, advertentes puniendos cum rigore, qui aliter fecerint, ut inobedientes mandato suæ sanctitatis, & hujus S. Officii.

De his plura & scitu digna habent P. Annatus de scien. med. disp. 4. c. 1. & in responsione ad fabulas quæstionarii Tolosani. Petrus à S. Joseph in concordiâ suavi disp. 4. sec. 4. n. 3. Paulus Leonardi p. 1. sec. 1. 2. 3. & seqq. Ripalda to. 2. de ente supernaturali disp. 113. sec. 9. 10. 11. 12. & 13. Gabriël de Henao in scien. med. insigni eruditione, efficacitate, ac modestiâ historicè propugnatâ, in 2. præsertim editione, primâ multò locupletiore, eventilatione 1. 2. 3. & 4. apud quos solidè refutatas, & tanquam omnis expertes veritatis validè rejectas videbis narrationes Salmanticensium discalc. 1. p. tr. 3. de scien. Dei disp. 10. dub. 3. §. 2. n. 69. & seqq. Joa. à S. Th. 1. p. q. 14. disp. 20. a. 6. n. 6. & seqq. Francisci Felicis in tr. de scien. Dei edito an. 1646. Vincentii Lenis, hoc est Fromondi, in Theriacâ adversùs libros Petavii & Richardi de libero arbit. Patris Xantes Mariales Dominicani to. 4. suæ Bibliothecæ pag. 217. ubi ait: *Romæ post plures congressus* (nempe coram Clem. VIII.) *sancitum fuit scientiam mediam* (*in quâ omnes novi-*

tates nostri sæculi fundantur) esse contra mentem Aug. & Thomæ, ut inter alios gravissimè referunt Sancti & Doctissimi Salmanticenses tr. 3. de scien. Dei disp. 10. dub. 3. n. 67. Hieronymi Vives, quæstionarii & aliorum ex manuscriptis quibusdam apocryphis tum scripto, tum vivâ voce passim asserentium 1. ex triginta gravissimis judicibus à Clemente VIII. delectis cunctos, uno vel altero excepto, censuisse doctrinam Societatis in materiâ de auxiliis esse contrariam SS. PP. ac præcipuè SS. Aug. & Th. ac proinde è Scholis Catholicis relegandam. 2. Jesuitas plerumque à Fr. Th. Lemos fuisse coram Pontifice convictos, contendentesque respondere, ob rei evidentiam silentio damnatos. 3. Adeoque soli gratiæ & favori Societatis, non justitiæ causæ datum, ut ejus doctrina posset impunè doceri.

114. Quæ & similia ubi in lucem data vidit Bastidâ, tunc extra Societatem in Academia Vallisoletanâ Primarius Theologiæ Professor, in gravissimo Theologorum consessu sanctè affirmavit (præsente & audiente Ripalda id referente disp. 113. n. 43. *apertissimè deceptos, aut insigniter mentitos esse Molinæ adversarios* dum talia spargunt, quæ si forent vera, ea non ignorasset Reverendissimus Alvarez Romæ gestorum præsens actor; neque ut optimè advertit Petrus

à S.

à S. Joseph in concord. suavi disp. 4. sec. 4. n. 3. istarum narrationum argumento uti omisisset, qui diversis temporibus, tot cumulatis responsionum libris, pro prædeterminatione physicâ ex Augustino & D. Th. contra scientiam mediam stabiliendâ, omnem movit lapidem.

Et vero quis non videat esse ab omni fide & veritate abhorrens; doctrinam Molinæ, post adeo longam & seriam 4. aut 5. annorum coram Summo Pontifice discussionem, fuisse omnium ferè sapientissimorum virorum authoritate Apostolicâ ejus censuræ deputatorum suffragio damnatam, & tamen Pontificem statuisse, ut in Scholis Catholicis liberè doceretur, & qui eam censuris ferirent, ab inquisitoribus fidei acriter punirentur: adeoque Pontificem plus Jesuitarum sæpiùs coram ipso falsitatis convictorum favori, quàm veritati & Ecclesiæ indemnitati, ejusque doctrinæ puritati detulisse. Certè hoc qui de Christi Vicario asserit, insignem ei, in re summi momenti, imprudentiæ, temeritatis, & imbecillis animi notam inurit, & ut suæ doctrinæ authoritatem accersat, eam sententiæ Pontificis irreverenter detrahit; cui sanè à viris Catholicis plus deferri debet, quàm dubiis & obscuris testimoniis, quæ si, ut jactant adversarii, accepta sint ab uno, qui congregationibus, dum censuræ

 ferren-

ferrentur, interfuit; fatendum est accepta esse non à viro, ut aiunt Salmanticenses, *Sanctissimo*, sed ab imprudenti, ne dicam perfido, violatore secreti, gravissimo obedientiæ præcepto sub pœna excommunicationis (teste Leonar. p. 1. n. 20. & Hen. n. 84.) à Pontifice omnibus impositi.

Igitur ad imprudentiæ notam à judicio Pontificis, ut par est, amovendam, dicendum est eum in hac constitutione à majori & meliori Theologorum parte stetisse, & adversariorum narratiunculis in contrarium *nullam prorsùs fidem esse habendam*, ut convincit declaratio Innocentii X. quæ ad calcem decreti anni 1654. 23. April. quo iteratò damnat Augustinum Cornelii Jansenii, & omnes libros in ejus defensionem conscriptos, habetur expressa his verbis.

115. *Cæterum cùm tam Romæ quàm alibi circumferantur quædam asserta, acta, manuscripta, & forsan typis excusa congregationum habitarum coram felic. record. Clemente VIII. ac Paulo V. super quæstione de auxiliis, tam sub nomine Francisci Pegnæ olim Rotæ Romanæ Decani, quam Fr. Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum, aliorumque Theologorum, qui, ut asseritur, prædictis interfuerunt congregationibus. Nec non quoddam auctographum seu exemplar cujusdam assertæ constitutionis ejusdem Pauli V. super definitione prædictæ quæstionis de auxiliis, ac* *dam-*

damnationis sententiæ seu sententiarum Ludovici Moline Societatis JESU, *eadem sanctitas sua præsenti hoc decreto declarat ac decernit prædictis assertis actis, tam pro sententiâ Fratrum Ordinis S. Dominici, quam Ludovici Moline, aliorumque Societatis* JESU *religiosorum, & auctographo, sive exemplari prædictæ assertæ constitutionis Pauli V. nullam omnino fidem esse adhibendam, neque ab alterutrâ parte, seu à quocumque alio allegari posse vel debere; sed super quæstione prædictâ, observanda esse decreta Pauli V. & Vrbani VIII. suorum prædecessorum.*

Ex hâc Innocentii declaratione, manifestum est primò *nullam omnino adhibendam esse fidem* iis, quæ ad Calcem libri Reverendissimi Alvarez, de concordiâ liberi cum prędest. & de origine hęresis Pelagianæ, post ejus obitum Duaci an. 1635. editi, ex P. Lemos proferuntur pag. 768. his verbis: *Quę in diversis congratulationibus hâc de materiâ habitis coram præfatis Pontificibus (& aliis 30. judicibus, inter quos alii Cardinales, alii Episcopi, alii regulares erant) ad hoc à Clem. VIII. deputatis pro tribunali sedentibus agitata & discussa fuerunt, qui cum Alvarez & aliis ex ordine Prædicatorum præsens semper disputator interfuit R. P. Thomas de Lemos fidelissimè refert. Et asserit omnes prædictos judices uno atque altero excepto, & præfatos Summos Pontifices Clem. VIII. & Paul. V. ut Doctores particulares judicasse*

dicasse veram & Germanam SS. Aug. & Th. sententiam à Thomistis adversùs Ludovici Molinę doctissimos & acerrimos defensores propugnari. Ejus librum magnâ ex parte ipsius manu-scriptum, cum dictorum Pontificum propriâ manu subscriptionibus, nobiscum legerunt Viri Duacensis Academiæ doctissimi. Et servatur in Conventu Prædicatorum Duaci. Et infrà, *quo igitur jure Doctor Angelicus post tale gravissimorum Pontificum, & tot judicum integerrimum judicium, à quodam Fuliensi & aliis in partes contrarias pertrahi possit, viri prudentissimi, ac doctissimi vehementer mirari non desinant.* Quibus aptè reponi potest: desinant ejusmodi narratiunculis deferre viri docti, qui norunt aut nosse debent, iis omnem authoritate Pontificiâ abrogatam esse fidem.

Manifestum est secundò falsam esse veritatem 55. P. F. Hyeronymi Henneguier in ejus Thesi anno 1668. Duaci editâ expressam his verbis: *Quamvis non in hæresim, tamen in Calvini errorem consentiunt, qui, ex gratiæ physicè prædeterminantis auxilio, libertatis eversionem inferunt.* Alioqui enim vera esset hæc manifesta falsitas: *quamvis non hæresim, tamen Calvini errorem Ecclesiæ permiserunt Pontifices, à Censuris tuendo, & Scholis Catholicis ut sanam permittendo Molinæ doctrinam ex prædeterminatione physicâ inferentem libertatis eversionem.*

Manifestum est tertiò errasse Xantes Mariales, cùm

cùm to. 4. suę Biblioth. an. 1660. editę pag 435. confidenter asseruit *Ecclesiam definisse*, pag. 456. & alibi sæpius *Clementem VIII. cum 30. assessoribus doctissimis declarasse scientiam mediam adversari SS. Aug. & Th.*

Manifestum est quartò eundem authorem non detulisse Pontificibus satis obedientiæ, nec eorum decretis, sup. n. 107. 108. 113. censuras & convitia gravissimè prohibentibus satis reverentiæ, dum Molinæ & cæterorum Jesuitarum doctrinam prædeterminationibus contrariam, ejus explicationem, & objectorum solutionem vocat to. 2. pag. 754. *veræ Theologiæ inversionem.* pag. 701. 755 & to. 4. pag. 72. *phantasiam totam Philosophiam ac Theologiam invertentem.* to. 4. pag. 77. *totius universi inversionem.* to. 4. pag. 422. *extravagantiam incredibilem, qua major proferri nequit.* pag. 423. *absurdam, intolerandam.* pag. 321. *omnia tolerabililitatis limina transcendentem.* to. 4. pag. 28. *scientiæ mediæ volutabrum, tetras & illicitas tenebras, ad quas fugientem sequitur manus Domini.* pag. 424. *falsitatem intolerabilem.* pag. 355. *impiam.* in indice curiositatum relectione 16. membro 7. *sacrilegam in D. Thomam violentiam.* ibidem relectione 1. memb. 2. *contra fidem, & veram Philosophiam.* to. 4. pag. 407. *blasphemiam in causam primam.* pag. 424. *blasphemiam intolerabilem in Philosophia*

quâ, inquit, pag. 407. *non potest acriùs in Philosophiâ & Theologiâ blasphemari.* to. 4. pag. 423. *Cælo nedum peripateticis execrabilem.*

Quæ omnia tam certò falsa sunt, & scandalosa, quàm certò falsum est & scandalosum asserere sanctissimum nostri sæculi Antistitem Franc. Salesium tradidisse doctrinam *blasphemam, impiam, & execrabilem* in suo cælesti libro de divino amore, ubi in iis, quæ ad gratiam & prædestinationem pertinent, doctrinæ & principiis Molinæ evidenter adhæsit, eaque suæ consensionis suffragio firmavit, ut per 15. propositiones copiosè demonstrat Petrus à S. Joseph parte 2. Theologiæ hujus temporis, Gallicè Parisiis editæ anno 1647. à pag. 449. ad pag. 477. quibus ostendit omnia convitia à Jansenistis in Molinam jacta, non minùs S. Francis. Salesium quàm Molinam ferire.

Cæterùm hæc & alia ejusmodi acerbissima Marialis convitia, quibus referta est ejus Bibliotheca, omnia (ut ejus phrasi utar) modestiæ religiosæ & gravitatis Theologicæ limina enormiter transcendentia suo authori dedecus, & sapientibus indignationem adferre possunt, non Molinæ vituperium, nec ullum ejus doctrinæ detrimentum; quippe quæ impenetrabili authoritatis Pontificiæ clypeo tecta, convitiorum telis peti potest, non lædi, nec partæ pacis tranquillitate deturbari.

116. Si-

116. Siquidem in ore trium & plurium Pontificum hîc ſtare debet omne verbum, & cuilibet cordato fatendum eſt, Molinæ doctrinam poſt longam 20. annorum (nempe ab an. 1586. ad an. 1605.) oppugnationem, & velut continuam à fortiſſimis hoſtibus obſidionem, pluſquam trecentis (ſi verum eſt quod refert D. *de Saint Amour* in collectione variorum ſcriptorum ejus diurnali ſubnexâ pag. 61. de trecentis penè congregationibus adverſus Molinam Romę habitis) inſultibus toleratis, ac feliciter repreſſis, glorioſam obtinuiſſe victoriam & pacem (ut meritò ſperandum) ſempiternam, omnibus adverſariorum machinationibus ac cenſuris temerè (ut eventus docuit) conceptis, authoritate Apoſtolica in fumum diſſipatis, & ſub graviſſimarum pœnarum interminatione prohibitis.

117. Nuper quidem Janſenius Iprenſis, & ejus aſſeclæ nova ingenti apparatu, ac ſtrepitu adverſùs Molinam bella moverunt, ſed ad ſuam infamiam & novam Molinę gloriam: quinque enim pręcipuis illorum doctrinę propoſitionibus authoritate Apoſtolicâ de hæreſi damnatis, earum contradictoriæ quas tamquam Molinianas è Pelagianorum & Semipelagianorum infami lacu hauſtas inſectabantur, illuſtrem ab Eccleſiâ dogmatis fidei approbationem accepere. Atque ita

Janſenius Molinam deprimere conatus novo triumpho extulit; ipſe autem *incidit in foveam quam fecit*. Pſalm. 7. 16.

118. Hanc poſtremam Molinæ victoriam conditionatè prævidit author undecim ſcriptorum an. 1652. factorum pro tuendis, adversùs imminentia Vaticani fulmina, quinque propoſitionibus Janſeniſticis, quæ Dominicanis tribuit, & ſuo Diurnali, de actis Romæ ad an. 1652. circa quinque propoſitiones ſubnectit Dominus *de Saint Amour* Doctor Sorbonicus, qui pag. 61. editionis an. 1662. refert ſcriptum ſecundum, cujus eſt hic titulus: *quid intendant, qui petunt quinque propoſitiones damnari?* cui petitioni à ſcripti authore ſic reſpondetur. *Primum eſt ut tota doctrina Molinæ definiatur: quia tota doctrina Molinæ ſtabilitur ex damnatione harum quinque propoſitionum.* His ſimilia refert pag. 64. in ſcripto quinto ad hanc primam Janſenii propoſitionem: *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſunt impoſſibilia ſecundùm præſentes quas habent vires: deeſt quoque illis gratia quâ poſſibilia fiant.* Cui §. 1. Hæc ſubjungit illius ſcripti author. *Si damnetur prima propoſitio in hoc ſenſu* (nempe ibi ſuperiùs explicato) *definietur nullam gratiam de ſe efficacem aut actualem eſſe neceſſariam, & tota Molinæ doctrina de viribus liberi arbitrii in naturâ lapsâ ſtabilietur de fide.*

Quod

Quod deinde octo argumentis probat, ex quibus sic concludit: *Ecce totam Molinæ doctrinam de viribus liberi arbitrii in naturâ lapsâ definitam, si damnetur prima propositio.*

Quæ licet per exaggerationem dicta sint, evincunt tamen illorum authorem nobiscum sensisse, doctrinam 5. Jansenii propositionibus contentam non posse deprimi, nec damnari, absque exaltatione & tacita approbatione principiorum Molinę, hujusque novâ ac perillustri de acerrimis hostibus victoriâ.

Advertit autem D. *de Saint Amour* pag. 59. in monitione ad lectorem scriptis illis præfixâ 1. se primam istorum scriptorum notitiam per quemdam prælatum accepisse in minervâ 25. Feb. 1652. 2. fuisse à Dominicanis composita ut exhiberentur Pontifici, 3. singulari beneficio se à PP. Dominicanis unum ex iis exemplum accepisse. V. plura in Diurnali loco citato.

119. Juvat hic adtexere ratiocinationem, quâ Molinæ & scientię medię victorias jam recensitas solidè firmat Annatus in fine responsionis ad quæstionem adversùs scient. med. à quodam anonymo editam an. 1644. ut ostendit Annatus initio suæ responsionis, eodem anno in lucem datę, in cujus fine sic ratiocinatur: *intenderunt scien. med. aggressores ut illius assertio notaretur & prohi-*

prohiberetur. Defensores è contrario, ut liceret initam ejus tradendæ tuendæque possessionem retinere sine ullâ cujusquam censurâ. Ex quo sic argumentor. In hoc genere litium, qui provisoriam, ut loquuntur, obtinet, ille interim victor existit. Atqui defensores scien. med. provisoriam obtinuere ter, & à tribus Pontificibus: ergo &c. minor patet ex Bullâ Sixti V. per Calatinum Episc. in Belgio promulgatâ. Ex constitutione Clementis VIII. apud Paul. Leonar. 1. p. n. 33. pag. 39. item ex aliâ constit. Pauli V. post absolutas disputationes.

120. Quare meritò Sylvester Maurolicus l. 5. Oceani religionum, Molinam ejusque doctrinam hoc ornat elogio: *Ludovici Molinæ eruditus de auxiliis partus, positus in fornace examinis Pontificii, & sæpiùs igne probatus, deprehensum est aurum omnibus numeris purgatissimum. Ipse verò Molina in Theologiâ morali tanta est authoritatis tantæque æstimationis in tribunalibus, & apud juristas, ut sine ullo adminiculo, aut copiâ aliorum authorum, adferat lumen veritati, decisionem causis, terminum litigiis.*

His similia, imo ad commendationem Molinæ etiam splendidiora habet R. P. Sapientissimus M. Fr. Placidus de Puga Benedictinus, præclari apud Salmanticam Collegii D. Vincentii Sacri Regens studiorum, Ex-Abbas ejusdem, & Benedictinorum per Hispaniam & Angliam

Ex-Defi-

Ex-Definitor, Academiarum Vallisoletanę, & Salmantinæ Doctor ac Professor, in suâ censurâ, & fusâ approbatione encomiasticâ scien. med. per Gabr. de Henao historicè propugnatæ, 2. ejus editioni an 1665. præfixâ. Ubi versu *sed quantus* post relatas & maturo judicio ponderatas acerrimas Molinæ oppugnationes ingenti ardore sæpiùs repetitas, ac tandem Pauli V. decreto, illæsâ Molinę concordiâ, depulsas, sic concludit: *à summo tandem censore decretum est ut libera sit utrique parti facultas suam propugnandi sententiam; quin è Molinę concordiâ, post vigiles adeo & diligentes excubias, nec iota adimeretur unum, nec unus expungeretur apex. Sed eâ lege cautum est, ut utriusque sententiæ fautores à censuris & conviciis in oppositam sententiam abstinerent. Vicit ergo Molina, & primam victricem palmam scientia media tulit. Actore enim non probante, nedum absoluitur reus, sed in delatorem victor assurgit.*

121. Falsus itaque non fuit Ludovicus Molina dum, (teste P. Ludovico Valdiviâ apud Henao eventil. 4. n. 152.) audito rumore per Hispaniam vulgato de suâ sententiâ à Pontifice damnatâ, animo tranquillo Madriti dixit: *Non est ita, nec potest esse, nisi ego non intelligo Concilium Tridentinum:* & urgentibus, id permulgari à viris magnâ authoritate & fide pollentibus, constanter respon-

respondit: *non est ita, vosque mox videbitis inanem esse rumorem.*

Denique nec deceptus fuit Venerabilis P. Ludovicus de Ponte eruditionis præsertim asceticæ, virtutis, ac sanctimoniæ famâ apud Hispanos clarus, *dum à Marinâ Escobar virgine visis, vaticiniis, aliisque donis (quantum humanâ authoritate licet credere) cælestibus celeberrimâ audivit S. Ignatium Societatis parentem an.* 1600. *&* 1603. *ipsi revelasse, societatem nullum passuram famæ detrimentum, nec illius doctrinam de auxiliis post acerrimas oppugnationes suâ probabilitate cariturum.* Ita Henao n. 151. ex ipso P. Lud. de Ponte in vitâ dictæ Virginis Marinæ necdum editâ.

Ex his omnibus patet nullam habere vim, nisi ad Molinæ commendationem, quod Salmanticenses aliique objiciunt, Molinæ concordiam à primo sui in lucem ortu magnos excitasse in Ecclesiâ discordiarum motus, viris gravissimis virtute, & doctrinâ clarissimis ei se ardenti studio opponentibus. Istius enim levissimæ objectionis nullitatem manifestat sapientissima responsio Hierony. Wielmi Æmoniæ Episcopi Ord. S. Dominici lib. 1. de scriptis & doctrinâ S. Th. ubi cùm sibi objecisset S. Doctorem *obtrectatores habuisse Henricum, Durandum, Greg. Arimin. aliosque permultos non incelebris notæ viros.* Respondet §. *in hunc*

hunc modum. His verbis apud Leonardi p. 3. n. 25. *Cæterùm egregiè hallucinantur, qui D. Thomæ monumentis detrahi quidquam arbitrantur, quòd celeberrimi plerique DD. ea oppugnare videantur, ut enim Philosophia, teste Boëtio, contradictione Professorum crevit, ita hujus S. Magistri doctrina magnorum virorum oppugnationibus solidior, nitidior, & augustior in dies magis ac magis effecta est.*

Similiter *egregiè hallucinantur*, qui concordiæ Patris Molinæ *aliquid detrahi arbitrantur* ex eo, quod DD. ex per-illustri Prædicatorum ordine celeberrimi tot annis, variis in regionibus tanto ardore eam oppugnarint: cum enim ex istis impugnationibus non solùm nihil damni acceperit, sed ut sup. n.102.& seqq.110. & seqq.ostensum est, earum occasione,novis semper ac novis Universitatum & inquisitionum approbationibus firmata fuerit, inde *solidior, nitidior & augustior in dies evasit.*

Jactent igitur quantùm libuerit, adversarii quod Molinam ejusque concordiam *sæpè impugnaverint à juventute sua*, ei in honorem abundat Regii vatis Hemistichium; *etenim non potuerunt mihi.*

122. Certè non puto ullum extare in Ecclesiâ librum, qui urgentibus adversariis tantâ authoritate & doctrinâ pollentibus, tot & adeò severa Universitatum, inquisitionum, & Summorum

morum Pontificum examina indemnis ſubierit, nullâ vel minimâ ejus propoſitione non approbatâ ut irreprehenſibilis ſanâ, & in Scholis Catholicis ſecurè permittendâ. De hoc ſanè meritò ſibi congratulari poteſt Molina, de quo gloriari non poſſunt præcipui ejus adverſarii, qui de Originali B. V. infectione tenent ſententiam, in libris impreſſis, lectionibus, aliiſque actibus publicis doceri prohibitam; à quâ, meo quidem judicio, alieniſſimus ſemper fuit Doctor Angelicus, cujus doctrinæ ab ipſomet Chriſto ſæpiùs laudatæ aliquam propoſitionem à Chriſti Vicariis eſſe è Scholis Catholicis proſcriptam, & publicè defendi prohibitam nunquam adducar ut concedam. Cum præſertim plurima ex ejus operibus peti poſſint argumenta pro ſententiâ Pontificum judicio piâ, B. V. puritatem ab omni infectione originis immunem tuentè, ex quibus alia in ſpeciem contraria pio ſenſû explicari, & ſufficienter ſolui nullius eſt negotii, ut ſatis ſuperque probavit D. de Cerf in ſuâ oratione panegyricâ pro Immaculatæ V. Mariæ Conceptionis defenſione ex mente PP. & Eccleſiæ DD. ac nominatim D. Angelici in aulâ Doctorali habitâ Duaci 16. Aug. 1664. ſed ad ſcientiam mediam redeamus, ejuſque, poſt tot victorias quot ſuſtinuit pugnas, defenſores recenſeamus.

§. IIJ.

§. IIJ.

Plurimi ac illustres Scientiæ Mediæ Defensores.

123. CUm satis constet omnes sup. n.29. 40. & seqq. contra prędeterminationem physicam citatos Deo certam tribuere cognitionem contingentium sub conditione futurorum non fundatam in decreto physicè prædeterminativo, ac proinde eos scientiam mediam admittere, aut certè aliquam ei affinem; hic è plurimis scientię mediæ patronis non nisi paucos refero ex iis, qui post aut paulò ante excitatas de auxiliis concertationes, illam claris terminis ex professo defendunt. Antiquiores datâ operâ prætermitto: quia, inquit Vasquez 1. p. q. 14. disp. 66. fin. *de hâc scientiâ sub conditione nihil omnino disputarunt*, scilicet per se, directè, & explicitè: nec (quod fatetur Alvarez l. 1. respon. c. 5. n. 26.) *illam fecerunt mentionem divini decreti conditionati, in quo infallibilitas futurorum contingentium conditionatorum innitatur.* Licet multa dixerint ac docuerint scientiam mediam apertè supponentia, aut per certam consequentiam inferentia; quod de

de D. Angelico, ejusque præceptore Augustino, aliisque antiquioribus permultis solidè probatum reperies apud Suar. p. 2. de gra. prologom. c. 2. §. 6. Ruiz de scien. Dei disp. 65. 66. 67. Fasol. to. 2. in 1. p. q. 14. a. 13. dub. 8. punc. 1. & 3. Leonardi p. 1. sec. 7. 8. 9. 10. 11. 14. Aldret, Henao &c.

E Societate autem, ne actum agam, hîc nullos produco, quia omnibus notum est pro scien. med. ab uno sæculo generosè & constanter pugnasse omnes ejus DD. unico, quem sciam, excepto Claudio Tiphano in libro, sine authoris nomine, edito de priori & posteriori c. 25. ubi scientiæ mediæ ita refragatur, ut tamen prædeterminationi physicæ nullo modo suffragetur; sed eam c. 62. 63. & 64. fusè rejiciat ut *nullâ probabili ratione nitentem, & D. Th. ignotam, ejusque doctrinæ repugnantem.*

124. Itaque præter omnes Societatis Theologos scientiam mediam studiosè amplectuntur Ferdin. Mascarennas tr. de auxil. disp. 3. p. 4. n. 8. ubi, inquit Leonardi p. 1. n. 59. *docet scien. mediam esse necessariam ad percipiendam concordiam gratiæ cum arbitrio.* Et disp. 2. p. 4. n. 27. ejus emolumenta non posse negari, *nisi ab iis, qui neque divinas litteras aptè interpretantur, neque doctrinam PP. perspectam habent.*

Hugo Cavellus sup. n. 38. ubi ait scientiam med.

variis

variis locis insinuari, *à Scoto* & in tractatum Scoti de primo principio to. 3. editionis magnę Lugdunensis c. 4. n. 8. Schol. ante Conc. 5. *itaque si admittuntur illa decreta absoluta*, *seu determinatio Dei æterna de actibus nostris*, *admittenda etiam videtur scientia media*, *quâ Deus ab æterno prævidit quid*, *quâcumque occasione positâ*, *facturi eramus*, *ut saluetur nostra libertas*, *cui non minùs officiunt talia decreta*, *negatâ illâ scientiâ mediâ*, *quàm prædeterminationes physicæ*, *quas docti passim insectantur*. Et infrà: *& ideo illam scientiam mediam amplector*.

125. Petrus à S. Ioseph in idæa Theol. l. 1. c. 3 in defensione S. Th. disp. 1. sec. 8. n. 4. & sec. 11. n. 2. disp. 2. sec. 6. n. 5. fin. & sec. 19. n. 1. quibus locis scien. mediam propugnat, idque ex mente D. Th. Item in concordiâ suavi disp. 4. sec. 4. n. 4. pag. 534. ubi scien. med. confirmat authoritate Academiæ Complutensis, Suaris opuscula de gra. efficaci, scien. conditionatâ, aliisque eo spectantibus an. 1599. approbantis tanquam *eruditione referta*, *SS. PP. testimoniis eruditissimè roborata*, *& validissimis rationibus peracutè confirmata*, *adeoque digna non solum quæ prælo mandentur*, *sed quæ continuè in omnium oculis manibusque versentur*: subscribentibus Universitatis Rectore D. Caluo & 7. aliis Doctoribus

Primariis, quibus ſubjungit Pet. à S. Joſeph: *Si gravis hac controverſia ex recentiorum Theologorum numero dirimenda ſit, dubitari non poteſt, quin ſcientia conditionata longè plures patronos habeat.*

Diotallevius de concurſu c. 5. & ſeqq. & nominatim 7. ubi ſcientiam mediam ſtabilit iis ipſis S. Th. teſtimoniis, quibus eam evertere fruſtra nituntur adverſarii, & dicit (teſte Leonardi n. 59.) quòd *eximius ſit illius in Theologiâ uſus* & quòd *qq. alioqui inextricabiles illius beneficio pleniſſimè explicentur.*

Pennottus in propugnaculo l. 3. c. 28. & 29. ubi ſcientiam mediam doctè probat ex S. Aug. & D. Th.

Stapletonus comment. in c. 11. Mat. in c. 9. ad Rom. & alibi toties, ut (teſte Baſtida apud Hen. pag. 81. edit. 1.) in poſtremâ oratione coram Paulo V. cum totus ſit Stapleton. in Calvino refutando, noſtræ doctrinæ armis adeo crebrò utitur, ut in unâ eâdemque paginâ quinquies Molinam citet, & ad ejus doctrinam tanquam Calvinianæ hæreſis antidotum Lectorem remittat.

Malderus 1. 2. q. 111. a. 3. dub. 10. memb. 4. ait: *veritatem hujus ſcientiæ* (ſcilicet mediæ) *inprimis indicat, quòd ſecundùm illam, omnia, quæ Scriptura Sacra & veteres PP. præſertim D. Aug. de gra-*

tiâ

tiâ efficaci dixerunt, rectè explicentur, & quòd alius modus hactenus repertus non sit, quo æquè clarè & commodè explicari queat concordia gratiæ & liberi arbitrii.

126 Alphonſ. de Mendoza ex Ord. Erem. S. Aug. q. 7. Scholaſticâ n. 4. *ſed de prædeſtinatione & reprobatione, de vocatione efficaci & inefficaci differentes PP. antiqui hâc ſcientiâ mediâ ſe à mille calumniis adverſantium protegunt.* Et Conc. 3. n. 3. (apud Leonardi n. 59.) dicit: *eos qui hanc ſcientiam inficiantur plurimùm derogare theſauris ſapientiæ & ſcientiæ Dei.*

Martinus Albiz ex eod. Ord. Primarius Complutenſis in Cathedris Scoti & D. Th. 1. p. tr. 1. de ſcien. Dei. diſp. 6. ſec. 13. n. 2. aſſerit *concordiam libertatis humanæ per ſcientiam mediam deſumptam fuiſſe ex D. Aug. l. 3. de lib. arbit. c. 4. & 5. S. Anſel. concordiæ c. 10. & S. Th. 3. p. q. 1. a. 5.*

Franc. de Corneio ex eodem Ord. in Salmanticenſi Univerſitate Primarius Theologiæ antecesſor in lecturâ de ſcien. Dei diſp. 5. dub. 3. ſub initium. ubi agens de ſententiâ ſcientiam med. tuente, ait: *& ſanè non video quam ob cauſam Thomiſtæ voluerint ei tanto conatu obſiſtere, ſiquidem neque D. Th. adverſatur, quin imo in ipſo non leve habet fundamentum, ut mox oſtendam, & in D. Auguſtino magnum, ferèque irrefragabile, & quod*

caput est, in S. Scripturâ minimè contemnendum. Et inf. addit: *gratias habendas eis, qui per scientiam mediam liberi arbitrii concordiam faciliorem reddiderunt, retentâ fidei sinceritate, & SS. PP. doctrinâ, præsertim Aug. qui princeps in hâc palæstrâ fuit.* Verba horum Augustini discipulorum jam citata & plura habentur fideliter relata à Paul. Leonar.

Curiel Controv. 7. in c. 4. sapien. a. 4. n. 1. (apud Leonar. n. 59. ait: *ope hujus scientiæ difficultates de divinâ prædestinatione faciliùs conciliantur, scripturæ majori proprietate explicantur, humana libertas vix aliter salvari potest.*

127. Petrus Lorca 3. p. disp. 10. memb. 2. n. 26. & 27. adductis verbis S. Th. 3. p. q. 1. a. 3. ad 4. 1. p. q. 23. a. 7. O. dicit: *ex quibus S. Th. verbis constat præscientiam illam, quam dicit supponi ad prædestinationem, non esse scientiam simplicis intelligentiæ, nec scientiam visionis, sed scientiam, quam vocant mediam, quæ est de futuris contingentibus conditionatis, quæ ex hoc loco S. Th. manifestè adstruitur.*

Daniel à S. Joseph Carmelita reformatus to. 1. disputationum in S. Th. disp. 24. scientiam med. per 8. capita ex Script. PP. D. Th. & ratione solidè probat. Ac tandem c. 9. sententiam affirmantem dari scientiam mediam neganti varias ob caussas præferens, addit (ut refert Vekenus de Deo Uno

Uno Trino disp. 19. c. 4. n. 17.) *de hominum salute, quæ tota divinæ gratiæ adjumentis, liberoque arbitrio nititur, malè mereri eos, qui conditionatam à Deo scientiam rejiciunt: peiùs qui eam agnoscere coacti, absoluto præfinientique decreto subjectam volunt, pessimè, qui apud Theologicarum rerum indoctos, aut certè non satis peritos maledictis suis in invidiam trahunt. De quibus ego* (inquit) *sic censeo eos in istâ controversiâ vel partis utriusque momenta non planè assequi, vel opinioni suæ potiùs, quam veritati servire. Contra verò plurimùm rempublicam debere Christianam iis, qui conditionalem scientiam absoluto Dei decreto priorem, sacris ex litteris patrumque ac D. Th. monumentis, in quibus delitescebat, in lucem Theologiæ vocaverint; quoque modo liberam creaturæ voluntatem cum Dei scientiâ & auxiliis conciliet, atque ita de Wicleffi, Lutheri, & Calvini erroribus triumphet, magno Christiani orbis bono ostenderint.*

128. D. Angelus Manriquez Congregationis Cisterciensis Hispanæ Generalis, in S. Theologiâ Salmanticæ Primarius antecessor, ac postmodum pacis Augustæ Antistes elucubravit (inquit Henao n. 107.) *justum volumen in firmissimum scientiæ mediæ præsidium*, in quo (teste eodem Hen. n. 108.) l. 3. controv. 25. c. 4. n. 28. sic habet: *scientiam conditionatorum antecedenter*

ad divina decreta dari, *gravissimi haud dubiè Scriptores Societatis* JESU *non minùs constanter defendunt quàm uniformiter. Ita Molina, quem, ut ego puto, Theologi omnes venerari æquè tenentur, non soli qui defendunt, sed qui impugnant; illi ut ducem sub cujus signis militant; hi velut adversarium, sed planè strenuum, cujusque inventis debent quod ipsi ducant. Ita etiam Valentia & Vasq. uterque magnus & subtilissimus Doctorum nostri temporis, idemque modestissimus Franc. Suarez, quos 4. primos duo illustres Cardinales Bellarm. & Tolet. deinde alii sequuntur tot planè numero ut vulgum penè efficiant, sed adeo graves scriptis doctrinâque, ut vilescere nequeant à multitudine.* Prosequitur n. 29. *quin ex cæteris hanc sententiam sequuti sunt multi & graves authores Alphon. Mendoza*, Curiel, *Mascarennas*, *Divtallevius*, *Pennottus*, *Lorca to. 1. in 3. p. disp. 7. n. 27. docens esse sententiam D. Th. Pesantius*, *Thomas Pius*, *Puteanus Gamachæus*, Wigers, *Malderus*, *Petrus à S. Ioseph*, *qui dum* PP. *Carmelitas Discalc. scientiæ mediæ totis viribus obsistentes absolutè appellat Salmanticenses, sentire videtur aut innuere contra hanc scientiam, Salmanticensem Scholam stare, quod reverà nequaquam dici potest. Licet enim ab initio habuerit utriusque partis egregios defensores; at primarii illius Professores, à M. Curiele, qui primus extra Dominicanam familiam hanc cathedram obtinuit nostris*

stris temporibus, usque ad nos, qui eam, licet immeriti, possidemus, omnes hanc sententiam admisisse, docuisseque habemus compertum: quod de Curiele testantur ejus scripta; & de dignissimo illius successore Aug. Antolines postea Archiep. Compostellano, dubitare non licet, quippe acri hujus scientiæ propugnatore. Tertius à primo Basil. Legion. publicavit eandem in suis quodlibeticis Salmanticæ excusis. Et tandem quartus, cui nos successimus Franc. Corneio eandem scientiam publicè dictavit, cujus nos testes sumus. Nec inficiamur quod aliqui eorum retractasse dicuntur. Sed de retractatione nobis non constat, de sententiâ non licet dubitare.

129. Placidus de Puga loco sup. cit. n. 120. §. *ad opus* scientiam mediam toto affectu amplectens dicit *esse tanta SS. PP. & Scholasticorum segete uberem, ut qui vel apud antiquos novam, vel apud novos antiquam diceret aut per calumniam aut per cæcutientem oculum dicere censeretur:* & §. *hanc scientiam* testatur in Academijs Salmanticensi, Complutensi, & Vallisoletanâ, etiam ab iis qui non sunt de societate, sæpissimè propugnatam fuisse feliciter. Tum subdit *compertum habeo tot esse numero scientiæ mediæ propugnatores, quot impugnatores.*

Ant. Cordubensis l. 1. quæstionarii q. 55.

dub. 8. in 4. argum. dicit, *quod divina voluntas determinatur à nostra & non contra, & ita quod in determinatione divinæ voluntatis non cognoscuntur futura.*

Ludovic. Abelli 1. p. trac. 2. de Deo l. 3. de scien. Dei sec. 4. ubi docet dari in Deo certam scientiam contingentium sub conditione futurorum non fundatam in Dei decreto: *quia alio qui sequeretur Deum fore causam peccati.*

Gervasius Biionius Cenomacensis Magister Theologiæ apud Parisios tractatu de auxil. gratiæ tuetur scientiam mediam disp. 5. q. 4. a. 6. & disp. 3. q. 2. a. 5. ait: *major & sanior pars Theologorum orthodoxorum cum S. Th. physicam illam voluntatis præmotionem ut fictitiam & improbabilem amolitur*, qui (inquit Henao n. 109. ista referens) *abstinere debuisset à censuris*, meo quidem judicio, certò falsis & meritò prohibitis.

Alexander Pesantius 1. p. q. 14. disp. 5. Gamachæus 1. 2. q. 111. c. 6. concl. 2. §. *ubi observa.* Philip. Faber sup. n. 38. Item apud Borrull disp. 5. sec. 5. n. 370. pag. 101. & apud Henao eventil. 45. n. 1208. Ludovicus Crespi Episc. Oriolensis vir doctrinâ & sanctitate clarus in lecturâ de auxil. & scien. Dei. Melchior Fuster in tr. excuso de volunt. Dei n. 583. Josephus Verge, Chrysost. Royo, & Bonavent.

Gna-

Guarao, vir (inquit Henao) infinitæ penè eruditionis, in suis quique lecturis Valentiæ habitis.

Alios permultos doctrinâ excellentes viros pro scientiâ mediâ Molinæ suffragantes V. apud Paulum Leonar p. 1. sec. 7. 8. 9. 10. 11. 14. p. 2. sec. 1. & seqq. Matthiam Borrull. de scien. med. disp. 5. sec. 6. pag. 99. n. 364. & seqq. Hen. in scien. med. historicè propugnatâ eventil. 40. 41. 42. 43 44.

130. Hactenus citatis consentiunt Joan. Sanchez in selectis Theologiæ moralis dist. 48. n. 62. Molinam hoc ornans encomio: *Molina Magister Magistrorum est, cujus scripta tam in disputationibus Scholasticis, quàm mores attingentibus, lucem absconditis rebus emiserunt.* Et Laurentius Beyerlinck in opere Chronogr. ad an. 1599. titulo *Viri illustres.* Ubi ait: *Molina multiplici rerum scientiâ præcellens etiam doctissimos suæ ætatis, eam Theologiæ partem, quam majoribus difficultatum scopulis expositam longo usu didicerat, elegantioris doctrinæ lumine illustravit.* Ægidius Gonzalez Davila in theatro magnitudinis Madritensis l. 2. pag. 247. (apud Henao eventil. 12. n. 302.) ait: *Molina ingenio phœnix acumine suorum librorum ditavit thesauros Theologiæ.* His adjungi potest iudicium Clementis VIIJ. non parum Molinæ honorificum;

Quam-

Quamvis enim cum variis Molinæ adversariis prædicet Petrus Aurelius pag. 520. *Clementem VIII. Molinisticæ præsumptioni non admodum favisse omnibus notum est : ferunt tamen*, (inquit Cellotius de Hierarch. l. 8. c. 18. §. 2. pag. 733.) magnum hunc doctrinâ & virtute Pontificem *quoties Molinæ librum*, quem, cum Romę examinaretur, diligenter evolvit, *de manibus poneret, exclamare solitum, illi homini argumenta esse, quæ contunderent ingenia.*

§. IV.

Scientia media à falsitatibus & probris vindicata.

131. EX allatis & pluribus apud Henao in scientiæ mediæ Historiâ 2.° editâ n. 302. Patet 1. multos ex quovis ordine doctrinâ & virtute claros de Mol. longè aliter sentire quàm sentiat Alexander Sebille in suo interprete Thomistico l. 2. cap. 17. pag. 181. vers. *& dic* ubi falsò ait : *doctus quisque Molinam præsumptionis redarguit*. Quasi vero, inquit Vocontius, *nemo nisi inter Thomistas, & Iansenistas doctus sit*, à quibus ferè

ferè solis arguitur Mol. ab aliis, ut constat ex §. 3. eximiè laudatus. Itē plurimos de Mol. loqui multò honorificentiùs, quàm Jansen. to. 1. de heresi Pelag. c. 9. fin. ubi dicit *Molinam, in Aug. veteres Pontifices, & antiquam Ecclesiam, esse injuriosum, ejus dogma uti & Massiliensium non esse gratiæ prædicationem, sed proditionem*, & similia in indice, verbo *Molina*. Qui tamen Molinę adversariis non favet; cum l. 8. de gra. Chri. c. 2. dicat: *prædeterminatio physica universam S. Augustini doctrinam inexplicabili confusione perturbat*. Et to. 2. in indice, verbo *prædeterminatio*, sic loquatur: *Dogma istud* (scilicet de prædeterminatione physicâ) *funditus subvertit principia doctrinæ Augustinianæ, de gratiâ primi hominis ante lapsum*. Quod c. 20. pag. 181. 182. & 183. fusè probat. Denique to. 3. in indice, verbo, *præscientia*, addat: *præscientia conditionalium ordine rationis mediat inter scientiam simplicis intelligentiæ, & præscientiam absolutè futurorum; & ob id media dicitur. Nullatenus Deo deneganda est juxta Augustini principia*. Quæ hìc in medium profero, non quod velim Molinæ doctrinam firmare authoritate, hodie exiguâ, maximi ejus adversarii, sed ut ostendam quàm immeritò prædeterminatorum nonnulli (teste D. *De Saint Amour* sup. n. 118.) Jansenio tanquam ipsis faventi studuerint

duerint patrocinari.

132. Patet 2. Falsum esse quod cum Salmanticensibus Carm. Discalc. tradit Joan. à S. Th. 1. p. q. 14. disp. 20. a. 6. n. 10. his verbis: *Quam pauci verò sint tam ex antiquis quàm ex recentioribus, extra Authores Societatis, qui in speciali, & expressè doceant ante omne decretum Deum cognoscere hæc futura conditionata, esto illa sciri à Deo non negent, bene advertunt & ostendunt Theologi Carm. Discalc. 1. p. tr. 3. de scient. Dei, disp. 10. dub. 3. §. 2.* Item falsum esse quod (apud Hen. n. 1204.) dicit Joan. Lallemandetus tom. 1. posthumo edito sub an. 1656. de Deo uno, disp. 8. partitione 3. in decisione n. 55. pag. 250. ubi ait: *Scientiam med. fuisse hactenus modicæ authoritatis in Scholâ Theologicâ.* Falsissimum esse, quod (audiente me, inquit Henao sup.) etiam publicè confidenter asseruerunt nonnulli Molinæ adversarii, *Scientiam mediam esse intra Societatis terminos clausam.* Denique falsissimum esse & injuriosum, quod alius, me præsente, affirmare non dubitavit, *Scientiam mediam esse pridem explosam, & à Scholis proscriptam.* Quæ & similia etiam à Viris alioqui eruditis dici potuisse meritò mirantur cum Henao Viri cordati.

133. Patet 3. X̄ātes Mariales, omnis humanitatis, mode-

modestiæ, & reverentiæ Pontificum decretis debitę, more suo, oblitum esse, dum ait to. 4. relect. 3. sect. 1. pag. 99. §. Qui non vult. *Scriptores nobiles appellant vos* (hoc est, Jesuitas) *Anti-Thomistas, Nominalium cineres, sepultarum opinionum innovatores, venerandę antiquitatis juratos hostes, humanarum mentium verborum lenocinijs depravatores.* relect. 3. sect. 2. pag. 125. §. Valdè injustè, *Replico ego quod Nominalium* (*qui gravissima quæque ad vim nominum reducere solebant*) *vos cadaverizantes cineres mundus appellet.* relect. 3. sect. 2. pag. 114. §. Non dicunt, *Fundatissimè dicunt recentiores* (scilicet Thomistæ) *scientiam mediam ubique rejci à D. Aug. tanquam Pelagianorum commentum.* relect. 15. sect. 1. pag. 404. §. Non irascaris, *Non vobis* (scilicet Jesuitis) *Thomistæ imponunt, quòd proprio marte novam scientiam introduxeritis: imò sincerè fatentur scientiam conditionatam non esse vestrum, sed Pelagij inventum per plures annos à D. Augustino impugnatum, enecatum, sepultum, incineratum.* relect. 16. sect. 2. pag. 432. §. Dico igitur, *Dicunt Thomistæ, & optimè, scientiam mediam esse novum figmentum, novum & horridum monstrum in Philosophiâ & Theologiâ. Monstruositas manet perspicua ex his, quę hactenus scripsi.*

134. Patet 4. eundem Mariales suam Bibliothecã à con-

à convicijs in ſcientiam mediam ejuſque defenſores injurioſis, quibus ſcatet, non purgare, ſed novis cumulare, cùm in fine tomi 4. relect. 16. ſect. 7. pag. 459. ait: *Quamvis aliquando duriuſculè in Faſolum animadverti. Arbitror tamen me zelantis modeſtiæ limina non exceſſiſſe, quando lego in actis Apoſtolorum ad noſtram inſtructionem regiſtratum Cap. 5. Principem Senatûs-Apoſtolici Petrum, Ananiam, & Saphiram; quia tentaverant naſcentem Eccleſiam decipere, etiam circa rem parvam & temporalem (nimirum circa pretium venditi agri) ſubitâ morte, nedum acri reprehenſione mulctaſſe; quid feciſſet, ſi Eccleſiam toto orbe diffuſam, circa veritates fidei noſtræ, depravare conati fuiſſent?* Quibus, ut vides Amice Lector, criminis arguit, tueri Molinæ doctrinam phyſicæ prædeterminationi contrariam (quamvis ab Eccleſiâ, poſt maturum examen, ſup. n. 106. 108. 113. ſit ęquè approbata ut orthodoxa, & Scholis ſecurè permittenda, ac oppoſita prædeterminantium ſententia) criminis, inquam, arguit, & quidem gravioris ac pernicioſioris ſacrilego Ananiæ furto.

135. Tum proſequitur impotentem ſui zeli ardorem adversùs Catholicos Molinæ Sectatores probare Pauli exemplo, qui actuum 13. Elymę Mago Proconſulem à fide avertenti dixit: *O ple-*

ne

ne omni dolo, & omni fallaciâ, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. Quem mox cœcitate percussit his verbis: *Manus Domini super te, & eris cæcus*, &c. Deinde idem confirmat exemplo S. Hieron. & S. Augustini, aliorumque SS. PP. in perfidos sui temporis hæreticos acerrimè invehentium. Quod de S. Aug. magis explicat eodem tom. relect. 6. sect. 2. pag. 158. fin. *Si disputandi ardor, non in Authores, sed in eorum prætensa falsa dicta, verbum duriusculum à Thomistis extraxit, non immodestiæ insimulandos viderit, qui legerit D. Aug. passim invehentem in Pelagianos, fideique zelo quasi excandescentem proferre, quòd insaniunt, quòd ignorant terminos, quòd turbas decipiunt, & ejusmodi, quæ S. Pater non existimavit indigna calamo Theologico*; scil. quando in hęreticos calamũ strinxit. At ubi quęso modestissimus P. Catholicos verbis mordacibus & maledictis lacessivit? Certè nec Aug. nec alij PP. nec ulli Sapientes Ecclesiæ DD. in Catholicos tradentes doctrinam Universitatum, Inquisitionum, imò [illegible] Pontificum judicio sanam, & nulli censuræ obnoxiam acerbissima ejusmodi maledicta unquam usurpârunt, eáve *Calamo Theologico non esse indigna* censuerunt. Hoc Marialis proprium est zelo, ardenti quidem, at non satis ordinato, nec satis confor-

mi

mi legibus Christianæ charitatis, & modestiæ; dum acerbissimas SS. Apostolorum invectivas in sacrilegos, impiosque Magos, & SS. PP. in hæreticos per odiosam comparationem applicat DD. Societatis, cujus virtutem & doctrinam Pontifices sup. n. 1. citati, aliique toties laudârunt, & novissimè, qui Christi loco hodie Ecclesiam feliciter gubernat SS. P. Clem. IX. in Brevi, pro tollendâ, aut saltem suspendendâ obligatione decreti de congregatione generali singulis novenniis convocandâ, 20. Septemb. 1668. Romę edito, quod sic orditur: *Religiosorum Virorum Ordines, quos tanquam fertilia cultorum plantaria sapiens Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum pietas instituit, in visceribus paternę gerentes charitatis, Societatem IESV Viris pietate, religione, sacrarum eisque ancillantium bonarum litterarum scientiâ, ac propriæ, alienęque salutis studio eximie præditis fulgentem, singularibusque in hanc Sanctam Sedem meritis conspicuam, peculiari Apostolicæ dilectionis affectu prosequimur.*

136. Pergit tamen Mariales suum suorumque zelum in Jesuitas, eorumque doctrinam (quamvis in thesibus & libris Romæ impressis, à Magistro Sacri Palatij ex Ordine S. Dominici centies approbatam) flagrantissimum commendare exemplo Francisci Roales Hispani, *Doctoris*, inquit, *sapien-*

pientissimi, pietate, ac doctrinâ planè illustris, & Sancto repletus Spiritu, qui per ejus os & calamum locutus est, in scripto scilicet famosò, horrendis in societatem calumniis, & contumeliis referto, quod tamen iterum edi & ad calcem sui to. 4. post pag. 460. apponi curavit, de quo meritò expostulat Carterius Vocontius expostulationis suæ cap. 14. pag. 65. ubi ait, *quantumvis dissimulet Mariales, ignorare non potuit*, ipse Hispanus, rerumque Hispanicarum non ignarus, *scriptum illud damnatum fuisse tanquam famosum anno* 1634. *die* 29. *Maij, & de mandato Inquisitionis Generalis, non tantùm severissimè prohibitum, verùm etiam Madriti*, TANQUAM IMPIUM, CALUMNIOSUM, ALIENUM AB OMNI VERITATE, PLENUM CALUMNIIS CONTRA ALIQUOS SOCIETATIS RELIGIOSOS, ET CONTRA RELIGIONEM TAM SANCTAM, DE ECCLESIA BENE MERITAM (*sic enim habet decretum*) *solemni infamiâ combustum fuisse, ut manifestum est ex testimonio Illustrissimi Inquisitoris Generalis D. Antonij de Soto Major Archiepiscopi Damasceni, ex Ordine S. Dominici, ipsius subscriptione & sigillo munito; item ex testimonio Secretarij Sanctæ Inquisitionis Toletanæ, de modo & forma executionis, quorum omnium apographa authentica hisce oculis vidi, de quibus fortè si dubitetis, ea in lucem edere non verebor.*

137. Patet 5. errasse Pet. Aurelium pag. 286.

ubi de Societate, ob propugnatam Molinę doctrinam, dicit (apud Cellotium l. 8. c. 18. §. 2. pag. 732. *pervagata opinio est, esse sobolem è succiso antiquitus Pelagij stipite fruticantem.*

138. Patet 6. esse plusquam aniles fabulas, quę cum quęstionario anonymo, aliisq; fabulatoribus refert Marial. to. 2. & 4. ubi variis locis (teste Carter. Vocontio suę expostul. c. 5. pag. 19.) ait: Clemens VIII. *declaravit doctrinam Iesuiticam de divinâ gratiâ Augustini placitis adversari: Paulus V. bullam condidit in quâ præfata doctrina damnatur: Valentia, qui eandem propugnare ausus est, palam luit, semianimis ad Sanctissimos Clementis pedes corruit, & tandem teterrimâ morte in pœnam audaciæ correptus est. Thomistica verò doctrina miraculis confirmata, & à fulgentibus ex vultu P. Lemos radijs illustrata est.*

139. Has aliasq; ejusdem furfuris fabellas solidè refutatas invenies apud Annatum in epilogo dispp. de scien. med. n. 18. in solutione Historicæ quæstionis subnexâ eisdem dispp. 1. edit. n. 39. & in appendice solutionis pag. 30. 31. Qui suam confutationem, post plurima quæstionarij mendacia evidenter detecta, & invictè confutata hâc aptè claudit sententiâ: *Mendacijs oppugnari argumentum veritatis est.* Paulum Leonar. p. 1. nn. 13. 20. 23. 34. 35. 39. 55. 56. Henao in 2. edit. scien. med. historicè propugnatę eventil. 2. 3. 4. 12. 14. ubi

n. 381.

n. 381. & 383. vide fabulas de radiis ex vultu P. Lemos, & de P. Valentiâ ad pedes Clementis VIIJ. ſiderato ſolidè eventilatas. Apud Pet. à S. Joſeph, in Theologiâ hujus temporis Gallicè editâ an. 1647. parte 1. c. 5. ubi refert geſta contra Mol. in Luſitaniâ, Hiſpaniâ, & Romæ. In concordiâ ſuavi diſp. 4. ſec. 4. n. 3. & alibi ſępius. Ripaldam to. 2. de ente ſupernaturali diſp. 113. ſec. 7. & ſeqq. Cum quibus ſic reſpondet Vocontius; ſup. *Bulla Pauli merum figmentum eſt, & mera Bulla, in quâ hucuſque tot, & tantas procellas excitarunt adverſarij: caſus Valentiæ commenmentitius: declaratio Clementis, adverſarijs quidem in votis fuit, iis tamen Sanctiſsimus Pontifex nunquam morem geſsit*, quod confirmat, *Gemino decreto Apoſtolico* (ſup. cit. n. 113.) *quo cautum eſt ne acta, ex quibus hæc & alia ejuſmodi ſunt deſumpta, citentur.* Et infrà: *illa verò, ut vocant adverſarii; miracula Patris Thomæ Lemos à ſacrâ Congregatione rituum, ſeu Rotâ Romanâ nondum diſcuſſa nec approbata fuere; imò Choqueti liber*, cui titulus, inquit Hen. n. 381. B. Mariæ viſcera materna erga Ordinem Prędicatorum, *in quo* c. 16. *liberaliùs ea referuntur, Vrbani VIII. juſſu, eo duntaxat nomine confixus eſt, quòd eumdem Vrbanum præfati ſplendoris ex vultu Patris Lemos emicantis teſtem oculatum appellaſſet. Negavit ingenuè S. Pontifex ſplendorem illum à ſe un-*

 quam

quam visum fuisse, & librum Choqueti, qui adeo confidenter hoc adstruxerat non sine stomacho configi, & in confixorum indicem referri jussit. Neque illustrissimus Alvarez illorum temporum author id reticuisset. Cùm indè gravissimum momentum accederet causæ; quam ipse acriter, verbo & stylo propugnabat.

Ad confirmationem hujus responsionis advertendum est ex Annato in responsione ad Thesim 12. quæstionis Theologicæ juridicæ &c. Quęstionarium eadem referentem, ac nominatim Thesi 12. illud de Valentiâ hâc unicâ Clementis voculâ, *Ho*, ad pedes Pontificis mirabiliter prostrato, & inde exanimi elato, tantę rei nullum qui fidem faciat, proferre testem. Quod ejusmodi narrationes (apud rerum tunc gestarum peritos certò falsas) apud omnes meritò reddit de injuriosâ fictione suspectas.

140. Patet 7. jam nullius esse ponderis argumentum aliàs levissimum, quod, ad confirmandas Salmanticensium Discalc. 1. p. tr. 3. de scien. Dei disp. 10. dub. 3. §. 2. & Quæstionarij narrationes, à silentio Jesuitarum, illas tunc fortè responsione indignas judicantium, desumit Joan. à S. Thomâ 1. p. disp. 20. a. 6. n. 6. in editione Lugdunen. an. 1663. pag. 492. ubi post citatos pro illis narrationibus Carmelitas Discal. ait: *rem hanc ab aliquibus in suspicionem vocari, aut pro indictâ haberi velle*

velle audivi, quæ certè si falsitatis vitio laborasset, profectò satis temporis evolutum est (*sex anni sunt ex quo liber est publicatus*) *ut posset ab adversariis, tale testimonium & historiâ infringi vel redargui. Sed factum non est, & ita factum tenet.* Verum jam *factum est*, igitur *factum non tenet*; adeoque evanuit tota vis, quam, in eo non facto, ponit Joan. à S. Th. Cùm Annatus, Leonardi & alii sup. n. 139. citati pridem istas narratiunculas efficaciter refutarint & falsitatibus ac figmentis refertas esse demonstrarint, neque ullus, quod sciam, eas à falsi, & figmenti labe hactenus purgaverit. Nec verò facilè quisquam purgabit, cum Innocentius X. decreto anni 1654. citato sup. n. 115. declaraverit *asserta, acta, manuscripta, & forsan etiam typis excusa congregationum super quæstione de auxiliis, quæ circumferuntur tam sub nomine Francisci Pegnæ, quàm Fr. Thomæ de Lemos* (quibus præcipuè nituntur istæ narrationes) *non posse nec debere à quoquam allegari, iisque nullam omnino fidem esse adhibendam*, hoc est non majorem quàm fabulis Æsopi.

141. Patet 8. non magnam habere vim, quæ viri nonnulli doctrinâ ac virtute conspicui senserunt ac dixerunt de Molinâ ejusque doctrinâ, priusquam (ut loquitur Maurolicus sup. n. 120.) *posita in fornace examinis Pontificii & sæpiùs igne pro-*

bata, deprehenſum eſſet aurum omnibus numeris purgatiſſimum. Cùm enim tunc varia ejus principia non ſatis caperentur, ut manifeſtum eſt ex cenſorum ſententiâ ſup. n. 112. toties mutatâ, & ab ejus adverſariis, à pietate & ſcientiâ magnæ authoritatis, rumor ubique ſpargeretur de variis Molinæ propoſitionibus damnatis, aut certò damnandis; mirum non eſt id temporis multos Molinæ doctrinam habuiſſe ſuſpectam. Ut habuit eruditione & ſanctimoniâ Eminentiſſimus Cardinalis Baronius, ſi vera eſt ejus epiſtola, quàm ei tribuunt prædeterminatores, an. hujus ſæculi 3. data ad Illuſtriſſimum D. de Villars Archiepiſcopum Viennenſem, in quá habetur: *Laborat* (nempe Clem. VIIJ.) *in diſcutiendo Molinæ volumine, de quo vel abijciendo, vel purgando, vel retinendo adhuc ſub judice lis eſt. Meâ quidem ſententiâ eo non indiget Eccleſia Catholica, in quo vel ſaltem quædam auditui horridula eſſent corrigenda. Monui RR. PP. meos Societatis Ieſu, ne æſtimationem eorum in defenſionem ejus librorum periclitari ſinant, & in diſcrimen adduci. Colo ipſos omnes, Deus ſcit, ut Patres, ut de ipſis illud uſurpem. Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.* Ita ſcilicet de PP. ſibi charorum famâ ſollicitus erat vir magnus, Societatis Jeſu amantiſſimus, illlusque parentis Ignatii æſtimator & cultor tantus, ut (teſte Turriano Fabro S. J. in vitâ

vitâ Baronii Duaci editâ an. 1668. lib. 3. cap. 4. pag. 289.) ejus, beatis necdum adſcripti, imaginem ipſemet, in templo Societatis Jeſu Romano, conſcenſis ſcalis, primus parieti affixerit, flexo poplite veneratus ſit, atque ita publico fidelium cultui expoſuerit. Ejus quidem (inquit Annatus in reſponſione ad Theſim 7. Quæſtionarii) *tunc juſtus erat metus, nondum intellectâ causâ, nec purgatis, quæ paſſim ſpargebantur contra Molinæ doctrinam, calumniis, ſecurior futurus ſi vitam produxiſſet.*

142. Deinde ad hæc & alia ejuſmodi inſignium virorum Molinæ non faventium judicia, dicendum eſt, nos non negare multos doctrinâ & morum integritate præſtantes viros à prædeterminatoribus contra Molinam ſtetiſſe, ſed ſolùm contendere Molinam non habere pauciores, nec ignobiliores ſibi ſuffragantes, à quibus ejus doctrina accipit ſolidiſsima authoritatis & magnæ probabilitatis firmamenta, quàm habeat oppoſita adverſariorum ſententia. Adeoque illos eſſe, ſi non (ut habet Daniel à S. Joſeph ſup. n. 127.) *de hominum ſalute peſſimè meritos*, ſaltem injurioſos, qui Molinæ de ſcientiâ mediâ doctrinam tanquam novam, ſingularem & improbabilem, *apud rerum Theologicarum indoctos, aut certè non ſatis peritos, maledictis*

dictis suis in invidiam trahunt.

143. Patet 9. in vanum laborare R. P. Fr. Joan. de Prado 2. parte controversiarum Metaphysicalium controv. 12. q. 3. §. 2. n. 42. dum contendit Illustrissimum Aravjo non deseruisse prędeterminationes Physicas, & dicit ipsum non loqui ex propriâ, sed ex alienâ sententiâ, to. 2. in 1. 2. q. 111. a. 5. dub. 6. ubi rejectis prædeterminationibus physicis, ut à S. Thomâ alienis, admittit morales intrinsecè quidem efficaces & connexas cum consensu, sed solùm moraliter, quatenus nempè potestate Metaphysicâ, & Physicâ non verò morali possunt componi cum dissensu. Quod ut persuadeat Prado (inquit Henao eventil. 6. n. 163. pag. 52.) Illustrissimum Aravjo Thomistam pręstantissimum, & nulli suo sæculo secundum, enormis plagii reum facit, ingenuè quidem fatetur eo loco rejici prædeterminationes physicas, verùm ait istum tractatum non esse ipsius Aravjo, sed alterius manuscriptum in ejus Bibliothecâ repertum, quem, cum proprium non haberet de eâ materiâ prælo paratum, nec ipsi per occupationes parare liceret, suis insertum scriptis curavit, aut permisit imprimi. Sed quis credat virum tantum voluisse alienis (sicut cornicula plumis) lucubrationibus, & quidem communiori Thomistarum sensui contrariis, tanquam propriis glo-

gloriari, illas suis inserendo, nullâ factâ mentione quod essent alienæ? Hoc cùm non sit verisimile, oleum & operam perdit Pradus inanibus ejusmodi conjecturis nitendo Aravjum à prædeterminationis physicę hostibus ad illius propugnatores invitum trahere. Quod patet tum ex dictis sup. n. 67. tum ex testimonio viri omni exceptione majoris, Eximii P. Josephi Romeri, Primarii in Salmanticensi Academiâ Cathedratici, sui Ordinis SS. Trinitatis secundò Provincialis, qui P. Gabriëli Henao exhibuit tractatum manuscriptum ex ore Francisci Aravjo in gymnasio Salmanticensis Academiæ, anno 1626. ab ejus discipulis exceptum, in quo eadem habentur, quæ ex ejus to. 2. contra pręderminationes physicas recitavit Henao, quem V. n. 170. pag. 54. historiæ scient. med. in oculis ipsius Romeri Salmanticæ an. 1665. 2. editæ. Tum maximè ex irrefragabilibus litteris ipsiusmet Illustrissimi Aravjo de suâ mente contra prædeterminationem physicam ad P. Henao datis an. 1663. quarum exemplum authenticum Bruxellas misit P. Henao ad P. Philippum de Hornes Societatis Jesu hoc an. 1669. 19. Februarii, quod penes me habeo. De istis autem originalibus litteris, earumque exemplo Bruxellas misso illis conformi certam fidem facit Notarius verbis sequentibus.

Ego

144. *Ego Sebastianus Garcia de Paredes, Notarius publicus, Apostolicus major substitutus* D. *Iosephi Randoli Secretarij admodum insignis claustri, studij, & Universitatis hujus oppidi, do fidem testimoniumque verum, quomodo comparuerit ante me R.* P. *Magr. Gabriel de Henao ex Societ. IESV, Lector S. Scripturæ in* Collegio *Regali ejusdem Societ. in hâc Civitate & Universitate Salmanticensi, & dixerit, quòd, volens facere secundam editionem operis sui de scientiâ mediâ historicè propugnatâ, & confirmare magis id quod in primâ editione scripserat circa Illustriss. &* Reverendiss. D. *Fr. Franciscum de Aravjo Episcop. Segoviensem, scripsisset Epistolam ad eundem Illustriss. tunc Madriti existentem, postquam renunciasset Episcopatui, & dictus* R. *Pater accepit ab eodem Illustriss. illud responsum, quod mihi exhibet, & jurat in verbo Sacerdotis, & super quatuor Evangelia (acceptâ videlicet licentiâ sui Prælati ad interponendum hoc juramentum) quod illud responsum sit idem, quod accepit à dicto Illustriss. & cujus facit mentionem pag. 54.* Colum. 2. *n.* 171. *sui operis de scien. med. historicè propugnatâ per Ant.* Cossium *an.* 1665. *Salmanticæ secundò impressi,* Spectantibus Dominicanis, à quibus evidentis mendacii convinci potuisset Henao, si non fuisset vera Illustrissimi Aravjo tunc superstitis Epistola, *quæ*, inquit Notarius *est hujus tenoris.*

145. *R. P. Gabriel de Henao, literas R. Adm. Paternitatis Vestræ datas 5. currentis accepi die Dominico præterito hoc est 9. ejusdem: & quamvis non noverim Paternit. Vestram adm. Reverendam, nisi, ad præstandum illi obsequium, respondeo, hoc nomine, quòd fuerim in juventute meâ nutritus in Prædeterminationibus Physicis, sed postea ætate magis provectus conformavi me Reverendi P. Magist. Fr. Ioan. Vincentij Moralibus* (scil. Prædeterminationibus.) *Pono tamen illas efficaces & independentes à scientia media, itáut nec sim prædeterminans Physicus, nec prævidens futurorum conditionatorum ante decretum. Et ita poterit V. Paternitas in suo novo tomo ponere defensionem, ut visum fuerit.* Tum post pauca, quę ad rem præsentem nihil faciunt, sic concludit. *Personam vestram servet Deus in eâ felicitate quam ei desidero. Madrito 12. Decemb. an. 1663. Paternitatis vestræ admodum Reverendæ, cujus manus exosculor, servus Frater Franciscus Episcopus Segoviensis.*

Addit Notarius paratum esse P. Henao (ut profitetur operis sui n. 171. sup. citato) harum literarum veritatem monstrare ad oculum, collatâ earum syngraphâ cum aliis ejusdem Illustrissimi syngraphis ejus familiarium judicio indubitatis. Sed hâc demõstratione nihil opus est; cum ad convincendos non protervos abundè sufficiat probi Sacerdotis juramentum n. præced. relatum.

Ad

Ad quod, inquit Notarius, *me refero, & ex voto dicti Reverendi P. Magistri Gabrielis de Henao dedi presentes Salmanticæ* 15. *Febru.* 1669.

Concordat cum originali quod reddidi R. P. GABRIELI DE HENAO *& in fidem illius signo & subscribo.*

In testimonium veritatis - signatum - SEBASTIANUS GARCIA DE PAREDES Notarius Apostolicus.

Deindè hujus Notarii authoritatem alii duo Notarij confirmant. *Nos Notarij Apostolici hujus civitatis, qui huic subscribimus, dicimus & damus fidem quod dictus Sebastianus Garcia de Paredes*, à quo supra scripta signata sunt, sit Notarius &c. *Vt se intitulat, quodque in judicio, & extra debeat illi adhiberi & adhibeatur fides integra, & eadem illi debet adhiberi in supra scriptis. In cujus fidem hoc signavimus hâc die* 15. *Februarij an.* 1669. *Et inferiùs habebatur.*

In testimonium Veritatis-signatum-EMANUEL SANCHEZ Notarius.

In testimonium veritatis -signatum- JOANNES DELA VIVA *Notarius*

His

146. His positis, nullus superest dubitandi locus de mente Illustrissimi Aravjo, cujus utique sententia de prædeterminationibus physicis sumenda est (ut sup. n. 15. ostensum est de Bellarmino) non ex iis quæ juuenis didicit, dixit, aut scripsit, sed ex iis, quæ ætate, & doctrinâ provectior, cum Joan. Vincentio, contra prædeterminationes physicas (ut ingenuè fatetur) ex S. Thoma docuit, & usque ad mortem constanter tenuit. Quare, quemdam scientiæ mediæ defensorem, qui in suâ Thesi posuerat: *Futura videri à Deo in decreto prædeterminativo* (scilicet physicè, de quo solo erat quæstio) *sentit Aravjo Thomista nullum habere fundamentum in doctrinâ D. Thomæ*: minùs consideratè, nec satis modestè aperti mendacii falsò redarguit R. P. F. Dominicus Bruneau in suâ Thesi Duaci editâ & propugnatâ 8. Febru. an. 1662. Parergo 2. his verbis: *hoc quod asserit de P. Aravjo falsum est & apertum mendacium*. Ibidem Parergo 3. pari levitate & inconsideratiâ falsitatis accusat relationem (sup. n. 68. invictè probatam) de dictis à Reverendissimo Patre Turco contra prædeterminationem physicam ut à D. Angelici mente prorsùs alienam.

147. His excusis, opportunè, ad complementum authoritatis hoc opusculo explicatæ, in meas venerunt manus litteræ Universitatis Salmanticensis ad Regi-

Reginam Catholicam, Salmanticæ idiomate Hiſpanico impreſſæ an. 1668. Cùm enim Regina Univerſitati inſinuaſſet, ſibi gratum fore ſi duæ Cathedræ erigerentur, & Societati JESU in perpetuum addicerentur cum ordinariis aliarum privilegiis, Univerſitas, re priùs maturo Conſilio deliberatâ, unanimi conſenſu Reginæ votis annuit, eiq́ue literas dedit, quibus nihil auguſtius fingi poteſt ad Societatis, ejuśque doctrinæ commendationem, quas proinde hîc prætermittere nefas duxi, ne alioqui videar prævaricari cauſæ & authoritati, quam ſic tuendam ac demonſtrandam ſuſcepi, eas itaq́ue ex Hiſpano latinè fideliter redditas tibi exhibeo Lector Benevole.

Reginæ Catholicæ, Dominæ noſtræ ſalutem à Domino Vniverſitas Salmanticenſis.

148. REGINA,

Lecta eſt veſtræ Majeſtatis Epiſtola pleno in Conſiſtorio, coacto die Iovis 18. *labentis Ianuarij; quâ in gratiam Regij Collegij Societatis IESV hâc in urbe fundati à Sereniſſimâ Reginâ D. Margaretâ glorioſæ memoriæ, veſtræ Majeſtatis aviâ, poſtulat, ut duæ ejuſdem Fundationis Cathedræ, quæ extraordinariarum lectionum erant in aulâ ſecundâ Theologiæ hujus ejuſdem Vniverſitatis, erigerentur in perpetuas proprietatis*

Cathe-

Cathedras eidem Collegio, *una ante; altera post meridiem, cum ijsdem honorum juribus & prærogativis, quibus fruuntur aliæ tum Matutinæ, tum pomeridianæ hujus Facultatis.*

Singulari cum attentione cognovimus motiva, quæ placuit Majestati suæ adscribere, ob quæ eam gratiam conferret, tam ea quæ vestram Majestatem obstringunt huic sacræ Religioni *Societatis IESV, quàm etiam ea, quæ* Collegium *meritò à tantâ* Reginâ *fundatum concernunt, communitatem sanè summi meriti, exempli, atque eruditionis, quæ sanam in hac Scholâ doctrinam annis omnino sexaginta quinque (nam ab eo tempore utramque lectionem publicè docet) per viros doctissimos, nullisque hujus sæculi etiam versatissimis, maximeque eximijs secundos tradidit.*

Cognovimus *insuper, quod tametsi Majestas vestra nullum nobis mandatum imposuerit, tali tamen hanc rem suavitate, & vi persuadendi proposuerit, ut non tantùm subditorum præoccuparit obedientiam, sed etiam consultis nullum reliquerit dissentiendi arbitrium. Scilicet ea est efficacitas tam modesti & suavis imperij. Tantâ itaque promptitudine decreto suæ Majestatis obedivimus, ut uno solo* Conventu *hunc in finem convocato admissæ sint (quantum quidem admitti ab Vniversitate possunt) duę hæ* Cathedræ, *Matutina, & pomeridiana, quas dignata est Majestas vestra fundare* Collegio Regio *Societatis IESV, æquales in privilegijs*

& præ-

& prærogativis duabus illis, quas occupat in hâc eâdem Vniversitate Ordo Prædicatorum fundatas à Philippo Tertio Vestræ Majestatis Prædecessore, & Duce de Lerma D. Francisco Gomez de Sandobal. Atque hæc admissio tantâ cum gravitate, ordine, prudentiâ, ac in suffragando consensione facta est, ut ne una quidem vox audita in Conclavi sit, quæ non probaret laudaretque motiva quæ continebant suæ Majestatis literæ. Erant autem (ut habent aliæ literæ ejusdem Universitatis ad quemdam Regis Consiliarium) *ex omnibus gremijs & Facultatibus plusquam septuaginta congregati.*

Ergo visum est nobis, responsum hoc nostrum Vestræ Majestati, per Deputatum è Cōgregatione nostrâ esse perferendum, qui suæ Majestati vivâ voce commodiùs quàm per literas fieri possit fidelitatem nostrorum affectuum explicet. Quam in rem delegavimus R. P. M. Fr. Iosephū Romerum alterâ vice sui Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Provincialem, Cathedraticum Primum in Theologiâ hujus Vniversitatis, hominem insignibus præditum dotibus, & his pari in Concilio nostro auctoritate, dignâ ipsius meritis & canis, qui prostratus ad regios vestræ Majestatis pedes eos nomine omnium nostrum deosculetur. Supplicamus vestræ Majestati eum sic accipiat, ut meretur ejus obsequium huic Vniversitati impensum, quæ id agit unicè, ut se Regio Vestræ Majestatis servitio totam consecret. Deus Catholicam suam Majestatem in suæ augmentum fidei, atque hujus Monarchiæ bonum

bonum diutissimè servet incolumem. Hoc enim rogamus, hôc indigemus. Ex Congregatione nostrâ 23. Ianuarij 1668.

Osculantur Regios Vestræ Majestatis pedes
Humillimi subditi.

Comes DE ADDA *Rector.*
Doct. D. IOSEPH FERNANDEZ DE RETES.
Doct. D. MANVEL DE LA PARRA, ET TAPIA.

De mandato Vniversitatis Salmanticensis
IOSEPH RANDOLI *Secretarius.*

Manifestant hæ adeò recentes ac Jesuitis faventes literæ Celeberrimam hanc Hispaniæ Universitatem in probandâ Molinæ doctrinâ sibi constare, modernosque illius magistros suis consentire majoribus, qui (ut sup. nn. 74. 75. 104. 128. ostensum est) Molinæ concordiam olim gravissimis adversariorum criminationibus ac censuris petitam, cum multis doctrinæ in eâ contentæ encomiis, probarunt, strenuè defenderunt, & à censuris, quibus immeritò petebatur, liberarunt.

Productis tot præclaris virorum sapientissimorum Molinæ doctrinam ut sanam comprobantium

tium judiciis, non admittent, ut reor, Thomistæ quod illis præfidenter tribuit Mariales sup. n. 133. nec facilè concedent quod Divo Thomæ, & antiquioribus ejus discipulis falsò imponit to. 4. in indice curiositatum Relec. 1. memb. 2. ubi ait: *Divo Th. & antiquioribus Thomistis nihil unquam fuisse detestabilius, & contra fidem, & veram Philosophiam, quàm quod Deus aliter certò videat futuros rerum eventus; quàm in decreto, quod ipse edidit vel effectivo respectu bonorum, vel permissivo respectu malorum.*

Hîc finem facio, & coronidis loco, præclarum Molinæ Elogium appono, à R.P. Petro Labbæo Societatis JESU, Elogiorum lib. 2. pag. 70. stylo conciso ac pereleganti, verbis sequentibus expressum.

LVDOVICI MOLINÆ
ELOGIUM.

Hic est vir ille, cujus doctrina
non vita
Publica Academiarum Thesis,

Ali-

Alicubi victrix , ubiq; hactenus
invicta stetit.
Nulla pars doctrinæ contra fidem,
Non omnis tamen de fide est;
Nulla pars falsa , non omnis tamen
est certa
Nec certior est adversa doctrina,
Vtramque permittit Roma , neutram
damnat.
Vtra potior sit, judicent docti,
Hæc ad examen vocata , indemnis
exiit ,
Altera nondum ad examen venit.
Timeri initio cepit , dum crederetur
nova,
Timeri desiit , cum apparuit veterana.

O 2 Brevis

Brevis Index Capitum, & ſimul rerum prçcipuarum.

§. IIJ.

§. J.

mediæ, ardentissimo adversariorum zelo ad supremum Ecclesiæ tribunal tractæ, coram Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. severo sapientissimorum virorum ab ipsis designatorum examine diu, multumque discussæ, ac tandem Pauli V. decreto anni 1606. *ab oppugnantium criminationibus ac censuris absolutæ, & approbatæ, ac Scholis Catholicis permissæ. Ex hâc insigni scientiæ mediæ victoriâ, quam hoc* §. *n.* 119. *solidâ ratiocinatione firmat Annatus, detegitur nu.* 114. 115. *& alijs nimia acerbitas verborum & Censurarum Patris Mariales aliorumque contra Scien. Med. & evidens falsitas variarum narrationum eidem scientiæ minùs faventium, quas maximâ ex parte excerpserunt adversarij, ex actis & manuscriptis, quibus n.* 115. *declarat Innocentius X. nullam omnino fidem esse adhibendam. Huic victoriæ sub Paulo V. an.* 1606. *obtentæ alia. n.* 117. *subnectitur an.* 1653. *relata sub Innocentio X. adversùs Iansenium Molinæ non minùs gloriosa, ab ejus adversarijs (teste D. de S. Amour n.* 118. *) eam impedire molientibus prævisa & prænuntiata. Vnde non immeritò Maurolicus, & Placidus de Puga n.* 120. *alijque nn.* 127. 128. 130. *Molinam ejusque doctrinam laudibus extollunt.*

§. IIJ. *A pag.* 175. *ad* 186. *enumerantur plurimi ac illustres scientiæ mediæ Defensores, inter eos Episcopi Mascarennas, Diotallevius, Malderus, Manri-*

quez,

ERRATA.

Pag. 7. lin. 3. fin. *editio*, pro *edito*. Pag. 83. lin. penult. *Gory*, pro *Ory*. Pag. 135. lin. 10. fin. *repugnantem*, pro *repugnantes*. Pag. 136. lin. 9. *Giion*, pro *Biionius*. Pag. 158. lin. 8. fin. 1605. pro 1606. Pag. 163. lin. 11. fin. *congratulationibus*, pro *congregationibus*. Pag. 167. lin. 5. 1605. pro 1606. Pag. 174. lin. 3. *irreprehensibilis*, pro *irreprehensibili*. Pag. 193. l. 2. *repletus*, pro *repleti*. In indice. CAP. IIJ. §. IJ. *bis* 1605. pro 1606.